... 1826

... de Mariny

ANTIQVITATVM ROMANARVM EPITOME

AD VSVM

SEMINARI NEAPOLITANI

EDITIO TERTIA

AVCTIOR ET EXPOLITIOR.

AVCTORE

SALVATORE AVLA

PARS PRIOR.





NEAPOLI MDCCCXXI.

APVD VINCENTIVM VRSINVM.

Publica Auctoritate.



AD

SEMINARI NEAPOLITANI

ADOLESCENTES.

IAM tandem, quod diu fuerat in votis, recens haec domi nata Romanarum Antiquitatum Epitome vobis sistitur, Adolescentes. Prae se fert ea quidem

id in vos studii, ut vel hoc uno non minimam a vobis inire posse gratiam videatur; quippe quae non alia de causa in medium prosilierit, quam vestris ut commodis, quantum per se fieri posset, consultum iret. Dolebamus enimvero antea, cum plures essent vel egregie elaboratae id genus Συλλογαί, non tamen earum quampiam ad omnes esse vestras rationes accommodatam, cum eam plerumque in rerum tractationibus vel prolixitatem, vel brevitatem sectarentur, qua praestitutos vestrae institutioni terminos aut plus iusto excederent, aut non attingerent; sed vero etiam non paucis, quae nota vobis esse vellemus, plane carerent. Quapropter cum non penitus ex usu illae vestro crederentur, eo quotannis confugere necesse erat, ut quae ad Romanam antiquitatem spectantia tradi deberent, ea de scripto omnia dictarentur: quod sane nec sine ingenti temporis iactura, nec vero multa cum copia effici poterat. His igitur incommodis ut aliquando obviam iretur, id consilii captum est, ut nova haec vobis Σύλοψις in qua deinceps una posse-

tis conquiescere, pararetur. A qua profecto causa, unde totum hunc libellum, qualiscunque is demum sit, suam duxisse originem iam novistis, eundem non minime probatum vobis iri valde confidimus.

Est vero et maius aliud, ob quod libentiori cum animo excipiatis. Continet enim ipse eam literarum partem, quae singulare aliarum praesidium, et quoddam veluti firmamentum habenda est. Etenim quantum a latinitatis peritia in universas scientias derivatur, quod certe immensum quiddam esse nemo non videt, tantum ferme per antiquitatis Romanae cognitionem in illas conferri dicatur oportet, quippe cum sine hac vix, ac ne vix quidem queat illa consistere. Quo enim tandem pacto contingere posse opinemur, ut latini sermonis intelligentia comparetur, nisi ipsi veterum institutorum fontes, unde totus ille effluit, adeantur? Num quis linguam e suae aetatis moribus confictam veluti omnem atque conflatam percipere, non ante his penitus cognitis, se posse speret? An priscos illos scripto-

res, a quibus Romanae locutionis summa petenda est, de rebus civilibus, iudiciariis, militaribus, sacris, ludicris, deque sexcentis aliis passim disserentes assequi facile cuiquam sit, qui quaecumque ad Romanae reipublicae regimen, ad iudiciorum rationem, ad militiae disciplinam, ad sacra, ad ludos, ad reliqua omnia attinent, explorata admodum, et quasi in numerato non habeat? Certe quidem qui latiale loquendi genus sine antiquitatis praesidio persequatur, non is germanam eius, solidamque rationem, sed umbram modo atque inanem imaginem consectabitur. Itaque meritissimo, postquam latinitas e barbariae colluvione, atque ex infelicium saeculorum caligine emersit, complures ingenio doctrinaque praestantes viri nihil habuere antiquius, quam ut ad Romanas illustrandas antiquitates universum animi studium converterent, per summam sapientiam rati, tunc tandem illi omnem omnino lucem affusum iri, ubi hae in apertum solemque prodiissent. Et re sane vera quantopere per hanc quantivis pretii operam, atque in-

dustriam latina res refloruerit, literatorum natio mox persensit, plurimumque ea de re illorum se se laboribus debere professa est; praesertim vero cum iam inde scientias quoque maximam in dignitatem viderit restitutas.

Inter has autem Iuri civili in primis quantus ex eo tempore splendor affulserit, ecquisnam paucis valeat enarrare? Compertum nimirum inter eruditos est, nobilissimae huius disciplinae elegantiam vimque omnem iam tum pessimo publico evanuisse, ex quo interioris antiquitatis, cui totus illius debetur ortus, deleta ex mente hominum fuere vestigia; cum factum ob id fuerit, ut suo illa amisso nitore innumeris tum quaestionum ineptiis, tum interpretationum deliramentis miserrime deturparetur. Sed ubi demum intermortua Romanarum rerum doctrina revixit, tunc statim ea, posita macie et squalore deterso, ad pristinum revocata robur ac decus fuit: qualis nunc certe in tanta saeculi luce mirifice effulget. Tanti nempe est ad Iurisprudentiam sustinendam exornandamque


veterum Romanae gentis morum intelligentia. Cui porro ipsi quantum etiam acceptum refert Ius Pontificium! cuius quam multae sunt partes, queis nisi arcessitum a praecellenti hac literatura subsidium praesto esset, nunquam sua vera ratio constaret! Quid vero? Nonne tota Ecclesiastica res huiusce studii ope summopere adiuvatur; insignique ea priscorum temporum gaza, veluti Aegyptiorum spoliis, locupletatur? Palam id quidem prae reliquis fecit vir superioris memoriae maximus, et non magis purpura, quam eruditione eminentissimus Caesar Baronius: qui Ecclesiae annalibus pertexendis cum saepe profana sacram collustrasset antiquitatem, quantum altera alteri suffragetur, reliquit iam testatissimum universis. Verum, quod valdius mirere, in divinas quoque literas lumen suum Romana antiquitas utiliter infert; cum et in illis nonnulla exstent eiusmodi, quorum notio non aliunde potius, quam ex illius populi ritibus eruatur. Sed praeterea, si minus aliud, ita per doctrinam, qua de agitur, informantur

animi et comparantur, ut ex unica eius cultura mirum quam ad sacratiores quasque disciplinas arripiendas idonei evadant. Quo quidem argumento ad adolescentes in politioris studii genus inflammandos usus quondam est Basilius Magnus, clara cum primis ea adhibita similitudine, quod sicut et lana alio prius colore infecta, ad purpureum mox imbibendum aptior est, et humanus oculus solarem in aqua imaginem contemplari assuetus, minore inde negotio solem ipsum intueri valebit? ita et mens nostra, humanis postquam literis imbuta fuerit et illustrata, divinis accipiendis multo futura sit accommodatior.

Quae cum sic habeant, multa profecto et magna sunt, quorum gratia vos, Adolescentes, qui non in literariae modo, sed multo magis etiam in ecclesiasticae rei spem succrescitis, plurimam his literis operam transmittatis. Habetis iam hoc opusculum, quod ad eos colligendos fructus, qui a Romanis antiquitatibus quaeruntur, maximo esse vobis poterit adiumento. Hoc sedu-

lo volutate, hoc perlegite: nunc praesertim, cum per alteram hanc editionem novis ipsum, iisque non exiguis, auctum incrementis, ampliorem etiam, quam ante, atque expeditiorem ad rem Romanam aditum patefaciet. Summum quidem fuerit operae pretium, si emolumenta, ad quae idem spectat, inde in vos per vestram curam plurima redundarint.

Vnum modo restat, quod vos moneamus, cum in Fastis consularibus ordinandis alii aliam iniverint rationem, nos aptius ad rem vestram secutos eam fuisse, quam in editione Liviana, quae vobis in manibus est, appositam reperietis.



ANTIQVITATVM ROMANARVM EPITOME.

CAPVT I.

De Vrbe Roma.

CVM toti Operi, quod favente Deo aggredimur, ea sit proposita ratio, ut Romanae gentis instituta moresque persequatur, par aequumque esse videtur, prius de ipsa Roma pauca edisserere. Itaque hoc primo Capite nonnulla, quae vel ad universam eam, vel ad aliquot eius loca atque aedificia pertinent, exsequemur.

§. I.

De Romanae Vrbis Origine, Situ, Et Ambitu.

Vrbis, futurae olim terrarum principis, auctor fuit Romulus, e regum Albanorum genere ortus, quod ipsum regale genus a Troiano duce Aenea profectum scriptores vulgo memoriae prodiderunt (1). Ille igitur una cum fratre Remo dedu-

---

(1) Vulgatissimum apud veteres quidem fuit, Aeneam excisa Troia profugum in Italiam adventasse; ibique cum collocasset in Latio domicilium, Laviniumque condidisset, tum eius filium Ascanium Albam fundasse, a quo universi deinceps Albani reges duxerint ortum: itaque Romam a Romulo, regio Albani generis iuvene, aedificatam, Troianae originis exstitisse.

Totam vero hanc de Aeneae in Italicas oras adventu satis firmatam opinionem evertere praeter alios adnisus est argumentis quadam sua epistola conclusis Samuel Bochartus. Quorum, quam heic damus, ea ferme est summa.

1.o Homerus Iliad. xx. v. 306. Neptunum de Aeneae eiusque posterorum in Troianos imperio post mortem Priami futuro sic loquentem inducit:

Ἤδη γὰρ Πριάμου γενεὴν ἤχθηρε Κρονίων.
Νῦν δὲ δὴ Αἰνείαο βίη Τρώεσσιν ἀνάξει,
Καὶ παῖδες παίδων, τοί κεν μετόπισθε γένωνται.
Nunc etenim Priami stirpem Saturnius odit.
Fortis at Aeneas in Troes sceptra tenebit,
Et nati natorum, et qui nascentur ab illis.

Haec autem non facile summus ille poeta in medium attulisset, ni reapse, defuncto Priamo, Aeneas primum, eius dein posteritas in Troiana regione regnasset. Alioquin qui fieri posset, ut non manifesti

cta ex Alba colonia, aliisque aliunde convenis aggregatis, postquam Remus ob exortam inter

---

mendacii argueretur, in re nimirum, quae, utpote, nec nimis antiqua, nec porro vulgari, ignorari tunc temporis minime quiret?

Atque hanc quidem esse horum versuum vim, ut inde colligi debeat, nunquam Aeneam Italiam adiisse, perspexit ac declaravit Strabo p. 608. Vbi etiam illud addidit, a nonnullis in hanc eos formam fuisse immutatos:

Νῦν δὲ δὴ Αἰνείαο γένος πάντεσσιν ἀνάξει,
Καὶ παῖδες παίδων. . . . .
At genus Aeneae cunctis dominabitur oris,
Et nati natorum . . . .

Queis scilicet verbis divinarit poëta futuram ab Aenea Romanorum gentem, quae universo olim orbi imperitaret. At comprehendi id certe mente non potest, quo tandem pacto Homerus, qui vixerit mille circiter ante CHRISTVM annos, tam longo ante tempore urbem Romam Romanique imperii amplitudinem praeviderit; nisi si quis eum haec divinitus fuisse edoctum, quod plane ridiculum, sibi velit persuadere.

2.o Ad Agathocle Cyzicenarum rerum scriptore apud Festum (v. *Roma*) multos dicitur fuisse auctores, qui Aeneam in urbe Berecyntia sepultum tradiderint.

Eius vero filium Ascanium post eversam patriam primum in agrum Dascyliticum illius gentis rogatu ad administrandum regnum venisse, deinde cum Scamandrio aliisque de Hectoris familia Troiam rediisse narratur in *Troicis* Hellanici veteris scriptoris apud Dionysium Halicarnasseum p. 38. Eum ipsum porro cum eodem Scamandrio novam urbem Scepsim (a vetere ad Idae cacumen sita XL stadiis distantem) exstruxisse, ibique eorum familias diu dominatas esse refert Strabo p. 607.

3.o Religio in Venerem, cuius se filium iactitabat Aeneas, cum ipsa Vrbe, si haec acceptam ei refer-

eos de principatu contentionem in turba interiit, prima urbis fundamenta iecit XI Kal. Mai (2) anno a mundo condito MMMCCLIII. Eam autem prope Tiberim in Palatino monte statutam, ROMAM a suo nomine nuncupavit (3).

---

ret originem, nasci debuerat. At scitum est ex Macrobio I. Saturn. 12. sub Romanis regibus ne nomen quidem Veneris nec Graece, nec Latine fuisse auditum.

4.° Idem de reliquis Troianorum Diis compertum est. Certe quidem Apollo apud Troianos summo in honore est habitus: et tamen primos Romanos omnino latuit, utpote a Numa in Deorum album (teste Arnobio Lib. II.) neutiquam relatus.

5.° Mater Idaea, eadem ac Rhea, cuius cultus a primis usque temporibus e Creta in Phrygiam per Teucrum invectus fuerat, Romam quidem non ante annum DXLVI, quam haec fuerat condita, invisit, cum scilicet Pessinunte illuc advecta fuit (Liv. XXIX 14.)

6.° Numinum simulacra Aeneas Latio intulisse dicitur: atqui huius generis imaginibus per annos CLXX Romanos caruisse testatur tum Varro apud S. Augustinum IV de Civ. Dei 31, tum Plutarchus in vita Numae.

7.° Nullum Phrygiae linguae vestigium in Latina occurrere, mirandum prorsus esset, si Troiani oras Latii penetrassent, cum ita semper evenerit ut externae gentes, ubi sedem sibi constituerunt, eo sermonem patrium induxerint: nullum vero eius locutionis indicium in Latiali deprehendi idem Bochartus, collatione facta, deprehendit.

Atque hae universae sunt ipsius de re proposita coniecturae.

(2) De die natali Romanae urbis, qui *Palilia* dictus, quod esset Pali pastorum Deae consecratus, ita Propertius IV 4.

Urbi festus erat, dixere Palilia patres;
Hic primus coepit moenibus esse dies.

(3) Vix paucis enarrari queat, quam multos prisca

Eiusdem ambitus ita ab initio definitus fuit, ut Palatini radices non excesserit.

Vbi vero T. Tatius rex Sabinorum, inito cum Romulo foedere, Romam cum suis omnibus concessit, ut ex duabus civitatibus una fieret, amplificari tum primum haec coepta est. Is enim Capitolium occupavit, prolatisque moenibus (teste Tacito Annal. XII.) urbi adiecit.

Exinde Quirinalis collis a Numa Pompilio altero Romanorum rege intra moenia inclusus est, cum non exigua turba nuper in civitatem recepta nullo adhuc certo lare uteretur.

Eadem de caussa, ne cui deesset domicilii copia, Tullus Hostilius regum tertius, Coelii adiectione urbem laxavit.

Iam porro ab Anco Martio, qui quartus regnum obtinuit, in urbem Aventinum admissum constat.

Postremo per Servium Tullium sextum regem collis Viminalis et Exquilinus additi (4).

Atque hi fuere septem urbis celebratissimi colles, scilicet PALATINVS, CAPITOLINVS, QVIRINALIS, COELIVS, AVENTINVS, VIMINALIS, et EXQVILINVS. Quos, tanquam singulare quoddam ipsius urbis decus et ornamentum, magnifi-

---

scriptorum aetas venditarit urbis rerum dominae conditores; uti plerumque in huiusmodi genere, et in multa antiquitate fieri solet. Leguntur illorum quidem plures de hoc sententiae apud Dionysium p. 58. et seq. At certe ex omnibus ea, quae exhibita a nobis est, maxime obtinuit.

(4) In tota hac de Vrbis amplificatoribus narratione nonnihil inter se discrepant, qui Romanam historiam conscripserunt. Nos, omissis de re non maximi momenti controversiis, unum omnino Dionysium, non poenitendum certe auctorem, sequi satis habuimus.

cis prosequi verbis poetae certarunt. Ita e reliquis Virgilius VI Aen. 781 cecinit:

. . . . *Inclyta Roma*
Imperium terris, animos aequabit Olympo,
SEPTEMQVE una sibi muro circumdabit
ARCES.

Sed et ex iisdem vocatus *Septimontium* fuit dies festus ob septimum collem urbi adiectum celebrari menseDecembri solitus.(Plutarch. Quaest. Rom. 68).

Verum postea e septem collibus decem facti, quot et in praesentia numerantur, additis nimirum ad priores, Ianiculo (5), Vaticano, et Colle hortorum. Hi autem quorumnam potissimum opera accesserint, non facile est divinare, cum nihil huc faciens proditum memoriae fuerit, nisi tantum ab Aureliano Imperatore laxata iterum fuisse moenia, narrante Vopisco in eius vit. 21.

Eiusmodi autem incrementis Vrbs parvis orta initiis paullatim crevit.

§. II.

De Pomerio.

Locus pone urbium muros, perinde intra, ut extra; qui inaugurato consecratus neque habitari, neque arari posset, *Pomerium* dictus est, quod et

(5) Est e recentioribus qui putet, Ianiculum iam ante urbi, aeque ac priores alios colles, fuisse adnexum. Verum haec opinio non recte stare posse videtur. Primum enim si res sic habuisset, non septem, sed octo fuissent iam primitus Romanae urbi attributi colles, contra ac passim veteres loquuntur. Deinde Dionysius p. 572. et 582. Ianiculum certo quodam spatio ab urbe, scilicet viginti ipsa stadia, abfuisse affirmat. Itaque non illud in urbe, sed extra urbem positum dicere necesse est.

Prosimurium appellatum testatur Festus.

Romanae quidem urbis Pomerium, non secus ac moenia, Palatini montis circuitu terminatum primitus fuit. Postea vero identidem prolatum. Id primum a Servio Tullio factum legitur; tum longo post temporis tractu a L. Sulla (6), inde a Caesare, Augusto, aliisque (7). Quam quidem potestatem ii potissimum habebant, qui fines imperii protulissent: id quod ex testimoniis in proxima notatione productis luculenter percipies.

E re autem heic fuerit animadvertere, non quoties dilatata sunt moenia, pomerium etiam ampliatum fuisse; ut omnino appareat res hasce duas

---

Vbi vero Livius I. 33. hunc collem ab Anco Martio quarto Romanorum rege urbi adiectum refert, eo id pacto accipiendum est, non ut tunc ille pars urbis factus fuerit, sed ut ita sit communitus, ac praesidio firmatus, ut *aequando*, quod statim idem subdit, *ea ara hostium esset*. Hoc autem sic intelligi oportere, elucet ex alio eiusdem historici loco II. 10. qui Porsenae Etruscorum regis irruptionem narrans aperte ostendit, hostem, cum Ianiculum occupasset, non ideo tamen pedem in urbem intulisse. Quod ipsum etiam planius facit Dionysius p. 294.

(6) Festus (v. *Prosimurium*): *Antiquissimum*, inquit, *Romuli Pomerium Palatini montis radicibus terminabatur. Protulit id Servius Tullius rex; item L. Cornelius Sulla.*

(7) Caesarem quidem pomerium protendisse, auctor est Dio p. 238. ubi de eo tradit: Νόμους ἐσήνεγκε, τό τε πωμήριον ἐπὶ πλεῖον ἐπεξήγαγε. *Leges tulit, ac pomerium ampliavit.* Eiusque rei iniicitur rursus apud eundem mentio p. 266. Hoc idem porro testatur Gellius XIII 14. Itaque audiendus non est Tacitus, qui Annal. XII ita scriptum reliquit: *Pomerium urbis auxit Caesar* (Claudius) *more prisco quo iis qui protulere imperium, etiam terminos urbis propagare datur. Nec tamen duces Romani, quamquam magnis nationibus subactis, usurpaverant, nisi L.*

disiungi consuevisse, quod non omnes e recentioribus observasse videntur.

Certe quidem pomerium a Romulo positum, non nisi a Servio prolatum demum fuisse refert Festus, cum tamen ante eum pluries murorum ambitus fuerit auctus. Adhaec collem Aventinum ipsis urbis moenibus Ancus Martius cinxit, teste Dionysio p. 182. at pomerio Imperator Claudius tandem, tanto post temporis tractu, complexus est (8). Aurelianus porro moenia, nihil emoto pomerio, produxit, sic referente Vopisco in eius vita 21. *Muros urbis Romae dilatavit. Nec tamen pomerio addidit eo tempore, sed postea.*

Ex hoc autem noscas licet, Romanum pomerium, cum ab origine muro adnexum de more fuerit, ubi tamen extensis moenibus ipsum im-

---

Sulla, et divus Augustus: quasi vero non et id ante Augustum Iulius Caesar praestiterit.

Ex hoc interim loco exploratum iam illud habes, tum per Augustum, tum per Claudium fuisse pomerii terminos prolatos. Quibus ut et alii quoque accedant, et vero etiam ut noscas iterum, quorumnam id munus fuerit, non pigebit alterum ex Vopisco in Aureliano 21. locum huc conricere, qui sic habet: *Pomerio autem nemini principum licet addere, nisi ei, qui agri barbarici aliqua parte Romanam remp. locupletaverit. Addidit autem Augustus, addidit Traianus, addidit Nero.*

(8) Gellius XIII 14 refert: *Aventinum extra pomerium exclusum, post auctore D. Claudio receptum, et intra pomerii fines observatum.*

Cur autem e reliquis omnibus, qui antehac pomerii spatia dilatarant, nemo unus admissum eum intro voluerit, ratio haec ab eodem scriptore ibidem affertur, quod nimirum ille ominosus haberetur, quippe cum ibi augurium pro assequendo dominatu captandi Remo male cessisset. Rem totam descriptam exhibet. Liv. I. VII.

motum perstitit, tunc ab iisdem aliqua saltem ex parte fuisse seiunctum (9).

Iam pomerii id praecipuum fuit (quod docet Varro IV L. L. 3.) ut *eius ambitu auspicia urbana finirentur*; videlicet ut quae in urbe capi solebant, intra illius terminos captarentur.

§. III.
De Pontibus.

Ad commodum in Transtiberinam regionem parandum traiectum, plures variis locis ac temporibus impositi Tiberi fuere Pontes. Qui octo omnino a P. Victore (Lib. de Regionibus Vrbis Romae) recensentur. SVBLICIVS, PALATINVS, FABRICIVS, CESTIVS, IANICVLENSIS, AVRELIVS, AELIVS, et MILVIVS.

I. SVBLICIVS, omnium antiquissimus, totusque ligneus, a sublicis, queis innitebatur, id nominis mutuatus, Ancum Martium conditorem habuit. Appellatus postea *AEmilius* quoque fuit, desumpta fortasse appellatione ab AEmilio Lepido Triumvi-

---

(9) Hinc miramur, ecquid in mentem venerit Livio, cum ita de pomerio scripsit, quasi si Romae semper cum murorum ambitu etiam illius fines fuerint propagati. Locum autem, ubi id agitur, qui possit maximopere conducere, huc integrum transcribere non abs re duximus. Inquit igitur ille I. 44. *Pomerium, verbi vim solam intuentes postmerium interpretantur esse. Est autem magis circa muros locus, quem in condendis urbibus quondam Etrusci, qua murum ducturi erant certis circa terminis inaugurato consecrabant: ut neque interiore parte aedificia moenibus continuarentur quae nunc vulgo etiam conjungunt; et extrinsecus puri aliquid ab humano cultu pateret soli. Hoc spatium, quod neque habitari, neque arari fas erat, non magis quod post murum esset, quam quod murus post id, Pomerium Romani appellarunt: ET IN*

ro, ac Pontifice Maximo, qui cum in illustriorem aliquam formam restituerit.

Hunc, infestis signis irruente Porsena (uti refert Livius II 10.) aegerrime, quo via hosti intercideretur, rescissum, ita postea instaurari placuit, ut nulli eum ferrei clavi continerent; scilicet ut si qua rursus necessitas cogeret, sine multo labore dissolvi posset. (Dionys. p. 183. et Plin. XXXVI 15).

Eiusdem, ubi opus foret, reficiendi cura Pontificum erat: qui sane id muneris sollemni ritu, peractisque ante sacris, studiosissime obibant: tanta nimirum ille religione habebatur. (Dionys. ibid.)

Ac ligneus quidem ad Plinii usque tempora perennavit, prout testatur ipse loco laudato: post quam aetatem lapideum factum constat, at a quonam incertum est. Ad eum autem pertinuisse credunfur pilae illae, quorum reliquiae ad locum, qui vulgo nunc *Ripa* dicitur, adhuc exstant.

II. De Ponte Palatino, cui ab obiecto monte cognomine factum nomen merito existimatur, nihil memoria dignum historiae prodiderunt. Ipse hodie *Pons S. Mariae* appellatur.

VRBIS INCREMENTO SEMPER QVANTVM MOENIA PROCESSVRA ERANT, TANTVM TERMINI HI CONSECRATI PROFEREBANTVR. Qua certe clausula id sibi ille voluisse videtur, ut quotiescunque urbis Romanae moenia amplificata sunt, simul et pomerium prolatum fuerit. Quod re tamen vera contra accidit. Et sane ipse Livius, cum de pluribus murorum amplificationibus ante Servium factis loquatur a nemine tamen prius, quam ab hoc rege, auctum pomerium tradit. Quapropter extrema huius loci verba ad Etruscos ipsos primos pomerii auctores, licet durius, non autem ad Romanos, referri necesse erit. Secus si fiat, quonam pacto sententia stare queat, non videmus.

III. FABRICIVS ex urbe in Tiberinam insulam ducebat. Eum a Fabricio curatore viarum, extremo certe reipublicae tempore, e lapide exstructum fuisse tradit Dio p. 50. Credendum autem omnino videtur, non quidem antea nullum, sed ligneum exstitisse; neque enim verisimile est, tamdiu urbem stabili in eam insulam transmissu caruisse. Ceterum is in praesentia *Pons quatuor capitum* vocatur, ob quadrifrontis Iani signum in insula ipsa non procul a ponte constitutum.

IV. Qui vero Pons eandem insulam regioni trans Tiberim positae iungebat, is CESTIVS fuit: qui tamen a quonam Cestio id appellationis acceperit, haud pronum est expedire. Opinio sane, qua ille a C. Cestio Gallo cons. sub Tiberio exstructus fertur, vix se cuiquam probarit. Ea enim tempestate excitatus, ipsius profecto Imperatoris nomen prae se tulisset. Nunc vero *Pons S. Bartholomaei* vulgo audit: quo ipso cognomine tota et insula insignita iam est.

V. Pons IANICVLENSIS a finitimo Ianiculo sortitus nomenclaturam fuit. At nostra memoria *Pons Sixti* dicitur, utpote a Sixto IV Pont. Max. restitutus.

VI. AVRELIVS a M. Aurelio Antonino factus. *Vaticanus* etiam vocitatus fuit, quod per eum ad campum collemque Vaticanum iter esset. Eius nunc Pilae e regione Nosocomii S. Spiritus cernuntur.

VII. AELIVM Hadrianus condidit. (Spartian. in eius vit. 19.) Hac aetate *Pons S. Angeli* appellatur. Adiacet ipsius Hadriani Moli, quam in sepulcrum sibi ille vivus excitandum curavit: et quam postea ad urbis tutamentum munitionibus auctam, iam *Arcem S. Angeli* Roma vocat.

VIII. MILVIVS, qui et *Molvius* dictus fertur corrupto nunc vocabulo (*Ponte Molle*) ad duo

ferme millia ab urbe passuum a M. AEmilio Scauro erectus fuit. (Ammian. XXVII 3.) Celeber hic Pons in primis est ob egregiam victoriam, quam prope eum Constantinus M. a Maxentio reportavit.

§. IV.

De Foro Romano:
Tum De Quatuor Aliis Recentioribus.

I. Postquam Sabini novam Romanae civitatis partem in Capitolino colle statuerunt, tunc locus, qui inter Palatium et Capitolium interiacebat, ad usum Fori a Romulo Tatioque comparatus fuit, ubi scilicet res, litesque agerentur. (Dion. p. 113.) Idque plane est quod FORVM ROMANVM, nec non *Forum Latium*, *Magnum*, *Vetus* dictum persaepe occurrit. Regnante postea Tarquinio Prisco aedificatae circa illud fuere Porticus, et Tabernae factae. (Liv. I 35.) Erant hae autem Tabernae partim laniorum, aliorumque id genus hominum, partim argentariorum sive trapezitarum. Iam ii, qui ibi argentariam facerent, vel permutandae, vel fenerendae pecuniae potissimum vocabant. Atque hinc factum, ut eiusmodi pecunia fenore sumpta *AEs circumforaneum* vocaretur. Itaque Cic. II ad Att. 1. scribit: *Tusculanum et Pompeianum valde me delectant, nisi quod me, ipsum illum vindicem aeris alient, aere non Corinthio, sed hoc circumforaneo obruerunt.*

Adhaec vero nonnulla alia erant, quae per argentarios in foro praestabantur, quae heic paucis attexere abs re non erit. Nimirum eorum fuit, pecuniam, a privatis eorum fidei committi solitam, asservare; contractibus, qui apud ipsos fierent, interesse, eosque in tabulas referre; in tabulis item (quae *auctionariae* nuncupatae) res,

quae auctioni subiiciendae forent, perscribere; aliasque rursus e venditarum pretiis conficere: quae porro universae summa in iudiciis, cum res posceret, auctoritate pollebant.

Haec autem omnia, et si qua eiusmodi alia sunt, *ad Tabulam* (quasi si Italice diceres *presso la Banca*) alicuius eorum agi dicebantur. Ita apud Tullium pro Quint. 6. Naevius, ut testatum faceret, desertum vadimonium a Quintio fuisse, *suos necessarios . . . corrogat, ut ad Tabulam Sextiam* (i. e. Sextii argentarii) *sibi adsint hora secunda postridie. Veniunt frequentes. Testificatur iste. P. Quintium non stitisse, et se stitisse. Tabulae maximae signis hominum nobilium consignantur.*

Illud modo, antequam a Tabernis in Foro positis discedamus, monere iuverit, eas posteriore aetate, facto discrimine alias vocatas fuisse *Veteres*, alias *Novas*. De illis, quae (ex Varrone apud Festum) prope Curiam fuerunt, ita Plautus in Curcul. IV 1.

Sub Veteribus ibi sunt, qui dant, quique accipiunt fenore.

Novas vero, quae in quarundam incendio absumptarum locum suffectae sunt, memorat Livius XXVI 27.

Praeter haec autem aedificia, multis sane aliis septum instructumque Romanum Forum subinde fuit: e quibus nos nonnulla §§. seqq. producemus.

II. Iam vero ubi longo post tempore Forum Romanum succrescenti iudiciorum multitudini impar esse occoepit, alia deinceps quatuor constructa sunt.

1. Inter haec primum exstitit FORVM IVLIVM, quod non longe a priore illo Iulius Caesar fieri curavit (ut refert Dio p. 224); cuius vel una

area H. S. millies stetisse perhibetur. (Plin. XXXVI 15.)

2. Tum AVGVSTVM prodiit, duplici porticuum ordine exornatum, Augusti opus. (Suet. Aug. 29.) Qua quidem aetate, cum iam triplex esset Forum, scripsit Seneca II de Ira 9. *Inficiationes, furta, fraudes, quibus TRINA non sufficiunt FORA.*

3. Secutum dein est FORVM TRANSITORIVM, a Domitiano inchoatum, a Nerva absolutum ac dedicatum. Id autem nominis inde ei adhaesit, quod ibi Iani quadrifrontis templum, quatuor portis pervium, inesset. (Serv. ad VII Aen. 607.) Hoc ipsum porro Forum ab alio delubro, Minervae sacro, *Palladium* audivit.

4. Postremum fuit FORVM VLPIVM, a Traiano conformatum.

§. V.
De Curia Hostilia, Comitio, Et Rostris.

I. Praecipuum quendam locum obtinuit in Foro vetere CVRIA HOSTILIA, ad Palatini collis radices contra Capitolium a Tullo Hostilio exstructa, habendoque senatui mancipata. (Liv. I 30.) Elatior aliquanto prae fori area erat, ut propterea per gradus eo scanderetur.

Eandem, cum ibi P. Clodii cadaver a populo crematum est, conflagrasse narrat Asconius p. 183. Itaque alia dein ibidem a Triumviris exaedificata est, tum ab Augusto dedicata, et a nomine patris *Curia Iulia* dicta.

II. Adnexum ipsi COMITIVM fuit, et quidem ad eius dexteram, uti testatur Varro IV L. L. 32. Locus is erat foro editior, in quod inde gradus aliquot descensum dabant: ac subdialis quidem olim, at postea alterius belli Punici aetate tectus,

(Liv. XXVII 36.) Ibi et comitia curiata haberi mos fuit, de quibus infra Cap. IV dicetur; et controversias disceptari; (Varr. l. l.) et in reos animadverti. (Plin. IV Epist. 2. et Senec. VII Contr. 1).

Ibidem defossam fuisse cotem et novaculam Attii Navii tradidit ex communi fama in primis Dionysius p. 204. De tota autem hac re praestabit audire Livium I. 36. ita narrantem: *Id quia inaugurato Romulus fecerat, negare Attius Navius inclytus ea tempestate augur, neque mutari, neque novum constitui, nisi aves addixissent, posse. Ex eo ira regi* (Tarquinio Prisco) *mota; eludensque artem* (*ut ferunt*) *Agedum, inquit, divine tu, inaugura, fieri ne possit, quod nunc ego mente concipio. Cum ille in augurio rem expertus, profecto futuram dixisset; Atqui hoc animo agitavi, inquit, te novacula cotem discissurum: cape haec, et perage, quod aves tuae fieri posse portendunt. Tum illum haud cunctanter discidisse cotem ferunt. Statua Attii posita, capite velato, quo in loco res acta est, in Comitio in gradibus ipsis ad laevam curiae fuit* (10); *cotem quoque eodem loco sitam fuisse memorant, ut esset ad posteros miraculi eius monimentum.*

---

(10) Heic Livius comitium ad sinistram curiae, contra ac nos supra cum Varrone statuimus, collocare videtur cum Attii statuam in comitio positam ad ipsius curiae laevam stetisse asseverat. Verum reapse ille non de comitio, sed de simulacro in comitii gradibus constituto loquitur, idque modo affirmat ad laevam curiae fuisse. Quod sane ita intelligendum est, ut cum quis in comitio stans dexterum curiae latus, quod e regione esset, aspectaret, ea ex parte signum illud Navii ad sinistrum ipsius curiae angulum (ad quem et gradus erant) locatum intueretur. Hac ratione Varronis testimonio nequaquam verba Livii repugnabunt.

Observandum heic autem se se dat praeterea *Puteal*, quod eidem coti novaculaeque impositum fuisse diserte declarat Cicero I Divinat. 17. Quid autem id rei fuerit, satis constat e Dionysio ibidem, qui, quod *Puteal* Tullio est, Βωμὸν(*Aram*) appellat. Longe autem diversum hoc a Puteali Libonis fuisse, contra ac quidem senserunt, in ima ora indicabitur (11).

---

(11) Antequam ostendatur, cum Puteali ad Navii cotem et novaculam integendam posito nihil commune habuisse Puteal Scribonii Libonis, opere pretium fuerit insitam ipsi vocabulo notionem advertere.

Indubium est, *Putealia* proprie dicta fuisse puteorum opercula, lapides scilicet in medio perforatos, queis eorundem ora ambirentur. Quae quoniam insculptis sigillis exornari solebant, eam ob rem ita Cicero I ad Att. 10 scribit: *Typos tibi mando, quos in tectorio atrioli possis includere, et Putealia Sigillata duo.*

Ab hac inde significatione vox *Puteal* ad eas aras denotandas, quae in locis de caelo tactis religionis ergo exstrui solebant, translata fuit. Discimus id a Festi fragmento, ubi dicitur: *Scribonianum appellatur ante atria Puteal, quod fecit Scribonius, cui* ***negotium datum a senatu fuerat, ut conquireret sacella attacta: isque illud procuravit, quia in eo loco attactum fulgure sacellum fuit. Quod ignoraretur autem, ubi esset (ut quidam) fulgur conditum, quod cum scitur, nefas est integi, semper foramine ibi aperto caelum patet.*** E quibus postremis verbis perspicis certe *Puteal* hoc sensu non aliud fuisse, quam altare locis fulguritis superexstructum. Ea namque loca ex ipso fulminis casu sacra fuisse habita perhibet idem Festus in v. *Fulguritum*, ubi inquit: ***Fulguritum id, quod est fulmine ictum. Qui*** *locus statim fieri putabatur religiosus, quod eum deus sibi dicasse videretur.* Quare ibidem quoque bidentes religioso officio mactari solebant; ex quo idem locus *Bidental* dictus. Quin immo Fulguri ipsi

III. Rostra suggestus dictus est, unde leges

---

sua erat religio, quippe quod in Deorum numero haberetur: cui propterea et templa, et altaria, sub dio tamen, atque aperta statuebantur. De qua consuetudine Vitruvius l. 2. *Iovi*, inquit, *Fulguri, et Caelo, et Soli, et Lunae aedificia sud divo, hypaethraque constituuntur. Horum enim Deorum et species, et effectus in aperto mundo, atque lucenti praesentes videmus.* Ea igitur de causa, quae iis dicabantur numinibus, tum sacella sine tecto erant, tum arae sub aperto caelo erectae, et foramen in medio habentes.

Hinc autem iam vides non incongruam translationis causam, qua vox *Puteal* a puteorum lapide superne imposito ad huius generis aras significandas traductum sit; quandoquidem a toto illo lapideo suggesto circa os putei constructo (eoque non raro quadrata forma) cui foratus lapis superpositus, nilifere, quod ad imaginem spectat, huius generis arae discreparunt.

Atque hactenus expensum satis est, quo eiusmodi putealia, sive arae, spectaverint, scilicet ad fulgurita loca integenda, sive ad *condenda fulgura*, qua plane formula id denotarunt veteres. Inde vero iam patet, quam longe *Puteal Libonis* (quod a Scribonio Libone ad hoc idem ex testimonio Festi aedificatum est) diversum fuerit a Puteali, quod ad occultandam cotem et novaculam Navii, ut ferebatur, exstitit.

Illius autem ecce tibi imago ex antiquo, pervulgato nummo expressa.



latas, et orationes ad populum habitas fuisse novimus: Causam nominis aperit Livius VIII 14. cum inquit: *Rostrisque earum* (navium Antiati populo ereptarum) *suggestum in foro extructum adornari placuit*, *ROSTRAque id templum appellatum*. Ex quo etiam colligas licet, *Templum* quoque id loci genus vocatum, appellatione quidem omnibus inauguratis locis, qualis et is erat, communi.

Rostrorum formam obiectam heic habes ex vetere nummo; ubi simul, quae eis erat imposita, sella conspicitur.



Locata primitus fuere Rostra *ad comitium*, *prope iuncta curiae*, prout ait Asconius p. 195. Itaque orator, cum inde diceret, ore ad Capitolium forumque verso erat. Illinc autem, ubi prius steterant, translata dein in alium fori locum per Caesarem fuerunt. (Ascon. ibid. et Dio p. 238.)

Notari postremo de Rostris dignum videtur, suevisse per diem sub iisdem id hominum genus otiari, queis rumores et aucupari, et spargere cordi esset. Quare apud Flaccum II Serm. 6.

Frigidus a Rostris manat per compita rumor.
Eos a loco ipso *Subrostranos* placuit appellari. Coelius ad Cic. VIII 1. *Te*, inquit, *a. d. IX Kal. Iun. Subrostrani, quod illorum capiti sit, dissiparant periisse.*

§. VI.

De Basilicis Templisque Circa Forum Romanum.

I. Magnifica quaedam aedificia, figura templorum instar oblonga, porticibus, ambulationibus, variisque ornamentis instructa, adhaec negotiationibus iudiciisque exercendis destinata, Basilicas (a Graeca voce Βασιλικὸς *regius*) Latina natio appellavit. Eiusmodi aedes quatuor circa forum Romanum extitisse accepimus.

1. Prima omnium prodiit Basilica Porcia, a Catone Censorino A. V. DLXVI aedificata, uti narrat Livius XXXIX 44. Ad sinistram curiae sita fuit: ibique tribuni plebis ius dicere consueverunt. (I. Plutarch. in Caton. min.)

2. Non multis post annis Basilicam Semproniam in alia parte fori excitavit T. Sempronius, et plane ad Vertumni signum; ubi cum multa esset tabernarum frequentia, commode poterant lites, qua inter negotiatores exorirentur, eo deferri. Loquitur de ea Livius XLIX 16.

3. Basilicam Pavlli a L. AEmilio Paullo consule, A. V. DCCIV conditam liquet. (Plutarch. in Caes.) Eam inter pulcherrima operum Romanae urbis recenset Plinius XXXVI. 15. De eadem verba fecit Statius I. Silv. 1. cum canit:

Illic belligeri sublimis Regia Paulli.

4. Basilicam Ivliam a patre coeptam profli-

gatamque, a se autem perfectam prodit Augustus in indice, quem de rebus a se gestis conscripsit, cuius fragmentum exstat apud Gruterum.

Iam ex hisce Basilicis *Subbasilicani*, non absimili admodum a Subrostranis ratione, appellati sunt, qui sub iis versari plurimum solerent.

II. Non solum autem Basilicae, sed multa etiam Templa forum Romanum exornaverunt.

1. Ex horum numero Templvm Castrorvm, ex voto (ut liquet a Livio II 20.) factum, sub Palatino colle stetit; in eo scilicet ipso loco, ubi illi, post profligatos Tarquinios apparuisse, victoriaeque evulgasse nuntium dicebantur. (Dionys. p. 351.

2. Proximam huic sedem occupavit Templvm Ivlii, testante Ovidio II de Pont. 2.

Fratribus assimilis, quos proxima templa tenentes
Divus ab excelsa Iulius arce videt.

Hoc delubrum a Triumviris fuisse conditum, asyli insuper iure (12) insignitum enuntiat Dio p. 337. et seq.

---

(12) Quod heic audis de *iure asyli*, totum a Graecorum instituto profectum crede: apud quos nimirum pervetus fuit, huiusmodi privilegio quaedam templa donare, quo quicunque sontes confugissent, extrahi inde ad supplicium nequirent; ut illa propterea Ἄσυλα dictitata sint ad α στερητικῷ (*privativo*) et συλάω *rapio* sive (quod eodem recidit) Ἄσυλα ex α et σύρω *traho.*

Non pauca certe templa in Graecis regionibus exstitisse hoc iuris genere impartita novimus. Tale fuit (narrante Diodoro Siculo) quod Athenis Theseo dedicatum fuit. Tale (teste Strabone p. 641.) templum Dianae Ephesinae. Tale Minervae apud Tegeatas in Peloponneso (ut refert Pausanias III 5.) Eiusdemmodi plura alia; quae paullatim augescentia mirum quantum extremo tempore succrevere. Hinc a Tacito Annal,

3. Tᴇᴍᴘʟᴠᴍ Vᴇsᴛᴀᴇ, a Numa constructum, in altero fori latere fuit, loco inter Palatium et

---

III de Tiberii Imp. aetate refertur: *Crescebat Graecas per urbes licentia atque impunitas Asyla statuendi. Complebantur templa pessimis servitiorum: eodem subsidio obaerati adversus creditores, suspectique capitalium criminum receptabantur.* Vnde et illud datur intelligi, quaenam hominum genera in huiuscemodi asyla se se recipere consuessent.

Non modo autem templa, sed et luci nonnunquam, in quorum medio locata illa essent, eo impunitatis munere fruebantur. Quare de quodam luco ab Antiochia non longe dissito haec eloquitur Strabo p. 750. Ἐν μέσῳ δὲ ἄσυλον τέμενος, καὶ νεὼς Ἀπόλλωνος, καὶ Ἀρτέμιδος. *In medio est Asylum et fanum Apollinis, et Dianae.*

In more illud etiam fuit positum, ut haec templorum immunitas ad partem urbis, vel ad totam ipsam urbem, insulamve, ubi eadem exstarent, protenderetur. Qua de causa apud Tacitum Annal. III habetur, sanctitatem (unde ἀσύλια nascebatur) templi Dianae, quod Hierocaesareae exstructum erat, ad duo millia passuum procurrisse. Plures porro urbes Ἄσυλα nomen prae se tulisse constat, per quod indicaretur totas eas inviolati iuris esse. (Spanh. de Praest. et Vsu Numism. Diss. IX) Iam de insula Delo Livius XLIV 29. *Sanctitas*, inquit, *templi insulaeque INVIOLATOS praestabat omnes.* Et apud eundem XLV 5. L. Atilius ita per iram populares suos Samothraces alloquitur: *Vtrum nos hospites Samothraces vere accepimus, an falso, sacram hanc insulam, et augusti totam, atque INVIOLATI soli esse?* Eodem plane privilegio insignitam fuisse Calauriam Neptuno sacram, tradit Strabo p. 374. Atque ita quidem obtinuit apud Graecos Asylorum ratio.

Id ipsum institutum Romana dein gens est amplexata. Itaque in ipsis Vrbis incunabulis aperuit Asylum Romulus, ea mente ut, quotquot seu servi, seu liberi eo perfugerent, civitati ad augendam multitudinem abscriberentur. Fuit autem illud in Capitolio *inter duos lucos* (uti loquitur Livius I 8.) ubi et

Capitolium medio. (Dionys. p. 126.) De eo locutus Flaccus I Serm. 9.

Ventum erat ad Vestae, quarta iam parte diei
Praeterita, et casu tunc respondere vadato
Debebat, quod ni fecisset, perdere litem.

Rotunda ipsum forma fuisse constat, scilicet *ut sui simili templo dea coleretur*, prout inquit Festus; quippe cum Numa templi auctor Vestam non aliam, quam terram, et hanc ipsam pilae instar, esse crediderit. (Fest. v. *Rotunda aedes.*)

Ibi *aeternus ignis* asservabatur; quem perpetua lignorum accessione fovere, singulare virginum Vestalium munus erat. Qui si quando exstinctus esset (quod non levi culpae Vestali custodi vertebatur) tum vero non alio pacto, quam radiis solaribus, aenei vasis ope collectis, rursus accendi mos erat. (Plutarch. in Num.) Ceterum Ka-

---

postea delubrum Veiovis aedificatum fuit: de quo cecinit Ovidius III Fast. 429.

Vna nota est Martis Nonis, sacrata quod illis
Templa putant lucos
Veiovis ante duos.

Tum vero etiam templa Romae fuerunt hac asyli religione illustria, videlicet Romuli, Iulii Caesaris, aliaque.

Totius autem huius, quae apud Ethnicos viguit, ἀσυλίας, facile est, uti et plurimarum aliarum rerum, originem in Oriente deprehendere: ubi tum Hierosolymitanum sanctissimum templum, tum *Vrbes refugii*, quae dicebantur, divinitus constitutae, si minus omnibus, iis certe, qui homicidio praeter voluntatem admisso obstricti essent, receptum tutissimum commodabant.

lendis Martiis, novi quondam anni initio, novum omnino ignem apponi sollemne fuit. Huc spectat illud Ovidii III Fast. 143.

Adde quod arcana fieri novus ignis in aede
Dicitur, et vires flamma refecta capit.

In eadem porro aede Palladium custodiri vulgo autumabant, videlicet illud ipsum Troianum, quod postquam a Graecis asportatum fuisset, a Diomede tandem Aeneae redditum, atque ab hoc in Italiam advectum, postremo in Vestae templo conditum fuerit. (Serv. II Aen. 166, et Herodian. I 14. 7.) De eo ita Lucanus IX 993.

. . . . . . *Nullique aspecta virorum*
Pallas in abstruso pignus memorabile templo.

Certe quidem illud, quodcumque demum signum fuit, in recondito admodum templi loco habebatur: quod praeterea non alii, quam uni Vestalium maxime, videre licuisse declarat Idem I 597.

Vestalemque chorum ducit vittata Sacerdos,
Troianam soli cui fas vidisse Minervam.

Ad hoc ipsum autem templum, quo de agitur, pertinuit *Atrium Vestae*, proximum quidem illi, at non coniunctum. Fuerat sane illic olim Regia Numae, quae in eiusmodi aedificium deinabiit, rem indicante Ovidio VI Fast. 263.

Hic locus exiguus, qui sustinet Atria Vestae,
Tunc erat intonsi Regia magna Numae.

Vnde factum, ut et *Atrium regium* vocaretur. (Liv. XXVI 27.) Huc vero spectat quoque illud Horatii I Od. 2.

Vidimus flavum Tiberim, retortis
Litore Etrusco violenter undis.
Ire deiectum MONVMENTA REGIS
Templaque Vestae.

Iam eo in Atrio virgines Vestales habitabant;

id quod ex Gell. I 12. observavit Lipsius de Vest. et Vestal. 4.

4. TEMPLVM SATVRNI ante Capitolium fuit, a Tarquinio rege aedificatum, si fides habeatur Varroni apud Macrobium I 8. cum alii, eodem testante, alios (quod non magni interest) eius auctores prodiderint.

Ibi Aerarium haberi placuit: id quod post exactos reges instituit Valerius Poplicola: (Plutarch. Quaest. Rom. 41.) in quo non modo pecunia e vectigalibus collecta, inque assiduos reipublicae usus expendi solita; sed et actorum publicorum tabulae, et signa militaria asservabantur.

Praeter hoc autem duo alia in eodem templo fuerunt aeraria, quae saepe *sanctiora*, utpote rarius, aut vix aliquando sueta reserari, appellata comperies. In quorum altero aurum, fortasse post urbem a Gallis captam incensamque, depositum fuit, ac postea per pecuniam e victoriis partam identidem auctum, non ad alias, quam ad unius belli Gallici necessitates. (Appian. Bell. Civ. II.)

In Altero porro *Aurum vicesimarium* condebatur; quod nisi extremis reipublicae temporibus, efferre fas non erat. Itaque Livius XXVII 10. refert: *Aurum vicesimarium, quod in sanctiore aerario ad ultimos casus servaretur, promi placuit.* Erat autem id aurum, quoddam vectigalis genus, per quod vicesima pars pretii, quo servus aestimaretur, a domino in eius manumissione pendi debebat. Eius originem Cn. Manlio consuli A. V. CCCXCVIII tribuit Livius VII 16. *Legem*, inquit, *novo exemplo ad Sutrium in castris tributim de vicesima eorum, qui manumitterentur, tulit. Patres, quia ea lege haud parvum*

vectigal inopi aerario additum esset, auctores fuerunt. Exinde eiusmodi vicesimae solutio tum toto reipublicae tempore, tum etiam sub Impp. perduravit. Cic. II ad Att. 16. et Dio p. 874.)

5. Saturni templo proxima fuit AEDES CONCORDIAE, quam a Furio Camillo dictatore ob civiles tumultus votam, populus sedatis turbis condi iussit. (Plutarch. in Camill.) Spectabat quidem illa forum comitiumque, in primo ipso Capitolii clivo posita, ita ut per gradus adeunda esset. De his Tullius VII Philip. 8. *Qui* (equites Rom.) *frequentissimi in gradibus Concordiae steterunt.* In eo autem delubro non raro senatum habitum, extra dubium est.

ATQVE HAEC de Vrbe Roma, quae in rem nostram forent, dixisse sit satis.

CAPVT II.

De Populi Romani In Tribus, Et Curias Partitione.

ROmulum post conditam urbem regiae statim potestatis munia auspicatum, primum omnium in *Tribus*, et *Curias* universam civitatem distribuisse refert Dionysius p. 82. Quare nos, eodem rerum ordine, postquam de Vrbe egimus, ad has Romani populi partes perlustrandas gradum facimus.

§. I.

De Tribubus A Romulo Institutis.

Tres omnino fuisse, quas Romulus fecit TRIBVS, exploratissima res est: ut propterea vel inter veteres quidam nomen eas a suo ipso numero mutuatas esse crediderint (13).

Peculiaribus vero illae discriminis ergo donatae appellationibus fuerunt, et una *Totiensium*, *Ramnensium* altera, tertia *Lucerum* nuncupatae. Quorum nominum has profert causas Asconius in Cic. I Verr. 5. *Tribus*, inquit, *principio tres fuerunt*: *Tatiensis una a Tatio rege*: *Ramnensis*

---

(13) Fuit antiquorum opinio, *Tribus* ea de causa hoc fuisse nomine appellatas, vel quod *tres* initio fuerint, qualem prodit Plutarchus in Romul. vel quod *tributum* penderent, id quod in primis sentit Livius I. 43.

E recentioribus porro nonnulli a Greco τριττύς derivatam eam vocem sunt arbitrati, cum praesertim apud Aeoles pro τριττύς dici τριττύς consueverit; unde perquam pronum fuerit *tribum* effingere: nisi quod eam graecanicum illud apud Athenienses *tertiam Tribus partem* significaret, apud Romanos porro *Tribus* ampliore ambitu *tertiam partem populi* continuerit. (Graev. Praefat. Tom. I. Antiq. Rom.)

At vero novissime omnium vir eximiae eruditionis Alexius Symmachus Mazochius in Additionibus ad Vossii Etymologicum deductam docuit eam appellationem a Syriaco שרבא *Sharbo*, cui scilicet eadem subsit notio; et *a quo*, ut ait, *mutata prima de more in Tau fiet Tarbo*: *ac postremo sub aliis vocalibus fieret Tribo*, *et cum Latina terminatione TRIBVS*.

altera a Romulo: *Luceres altera a Lucumone*, *sive Lucretino* (quodam , ut perhibetur , Etrusco duce , qui Romulum auxiliis contra Sabinos iuverit) *sive a luco*, *quem lucum asylum vocaverat Romulus.*

Hae autem originationes si verae fuerint, dicere necesse erit (quod sane improbabile non videatur) eas nomenclaturas non ante confectum cum Sabinis bellum , societatemque cum iisdem initam , fuisse Romanis tribubus impartitas. Et certe fieri potuit, ut quae Tribus antea conditae, et quidem numero perexiguae, sine nomine fuerant; ubi adscitis in urbem Sabinis, aliisque (uti aiunt) peregrinis , praesertim Etruscis , ibidem constitutis , auctae sunt, tum demum et refectae fuerint , et sua singulae nomina acceperint. Itaque in unam coniectis Sabinis , omnibus ea *Tatiensium* dicta sit; altera, in quam priores Romanae urbis incolae collati , *Ramnensium*; tertia, quae reliquos novos advenas exceperit, *Lucerum*.

Atque hoc sane pacto cum Dionysio , Tribus ante cetera omnia a Romulo conditas referente , conciliari facile queat Plutarchus in Romul. qui eas post civitatem Sabinis demum datam descriptas fuisse tradit : scilicet si is dicatur non de tribubus primo institutis, sed de instauratis perfectisque locutus.

Haec autem omnia cum recte sic constare queant, quod tamen ad ipsas Tribuum appellationes attinet, aliam de iis Varro IV L. L. 9. affert opinionem : qui de earum veriloquio eisdem fere, quae habet Asconius , pronuntiatis, subdit tandem ex Volumnii Tuscarum tragoediarum scriptoris auctoritate , cuncta haec vocabula Etrusca fuisse.

§. II.
De Triginta Curiis.

Singulas modo numeratas Tribus in denas CVRIAS (14) distribuit idem Romulus; quae propterea triginta omnino extiterunt. Isque numerus mansit semper, nil plane; auctis postea in urbe tribubus, ampliatus: itaque etiam tum sic factum, ut universarum tribuum cives in illas ipsas tricenas Curias dispescerentur. Quod item contigisse existima, cum tribus rusticae, multo eae quidem plures (de quibus posthac videbimus) prodierunt; modo tamen assentiri velis Gruchio opinanti quotquot cives in agro Romano viverent, omnes alicui curiae fuisse adscriptos (15).

---

(14) Non pauci nuperae aetatis auctores ex eo *Curiae* nomen quaesitum crediderunt, quod unicuique harum populi partium demandata publicae rei *cura* esset; perinde ac eandem vocem ideo tum sacrae aedi singulis earum assignatae, tum loco ad habendum senatum destinato, attributam fuisse tradidit Varro IV LL. 76. quod illic res divinae, heic humanae *curarentur*.

Verum Graevius Praefat. Tom. I Antiq. Rom. Gronovii sententiam secutus arbitratur huius vocabuli originem, ubi prima eius notio spectetur, a Graecis esse arcessendam; quibus nimirum κυρία ἐκκλησία, et simpliciter κυρία populi concio diceretur ad ferendum de re aliqua suffragium legitime convocata. In quo quidem etymo id unum intersit discriminis quod quam Graeci appellationem universo simul populo accommodarunt, eam Romulus non toti collectim multitudini, sed tricesimae cuique eiusdem parti, quae cum reliquis publice deliberatum conveniret, impositam voluerit.

(15) Nicolaus Gruchius (ad poster. Sigonii disput.

Non secus vero, ac tribubus, sua quoque Curiis indita fuere nomina; et fortasse, postquam fuit cum Sabinis civitas communicata. Praebet quidem aliquod huiusce rei indicium Festus, qui unam earum *Titiam* a Tito Tatio Sabinorum rege dictam testatur. Quin immo nulli prorsus id totum dubitationi foret obnoxium, si pro certo haberetur, quod Livius I 13. refert, traditas fuisse curiis a mulieribus Sabinis nomenclaturas. Verum non tanti hac in re ducitur huius scriptoris auctoritas, ut non vulgo ei praeferatur Dionysii, atque Plutarchi opinio; quorum alter p. 112. alter in Romul. curiarum nomina non illinc, sed a ducibus locisque deducta diserte asseverant. At licet sic res habuerit, non id tamen impedimento est, quominus quis curias, quo pacto tribus, non ante initam cum Sabino societatem denominatas fuisse opinetur.

Refut. 6.) probare contendit, universos cives agri Romani incolas in Curiis fuisse adnumeratos; idque optima ea quidem ratione, quod, ubi Curiae ad ferenda suffragia conveniebant, etiam qui in agro erant, ad idem confluerent. Hoc autem ut ostendat, ūtitur eo Dionysii loco p. 218. ubi cum de creando rege Tullio agatur, haec efferuntur: προεῖπεν ἡμέραν ἀρχαιρεσιῶν, εἰς ἣν ἐκέλευσε καὶ τοὺς τῶν ἀγρῶν ἅπαντας παρεῖναι. *Indixit* (Tullius) *diem comitiorum, ad quam iussit, et agrestes omnes adesse.* At, ut ingenue fateamur, videntur haec quidem verba insolitum quiddam, non autem de more factitatum indicare.

Itaque in rem magis illud foret, quod praeterea vir doctissimus ait ab eodem Dionysio doceri, videlicet post exactos reges, cum leges curiatae a Bruto ferrentur, universos ad suffragia de iis ineunda ex agro commeasse. Verum id, quod sane quam opportunum esset, nobis eum scriptoris locum (qui est p. 270.) perscrutantibus non se se dedit.

Sed iam accipe, quae pauca curiarum nomina ad nostram memoriam perennarunt. Sunt ea omnino, quae vulgo proponuntur, septem videlicet TITIA, VELIENSIS, FORENSIS, VELITIA, TIFATA (si tamen haec, ut plerisque persuasum est, curia [illegible] sis subiectam notationem) RAPTA, et SAVCIA (16): quorum priora sex memorat Festus, septimum legitur apud Livium IX 38.

---

(16) Quid sibi, quod ad etymon spectat, velint haec Curiarum nomina, non facile est de omnibus decernere.

Titiam quidem certe a Tito Tatio dictam fuisse non est quod in dubium revocetur.

Veliensem a Velia Palatini montis fastigio, de quo meminit Dionysius p. 292. multo potius, quam (ut multi volunt) a Velia Lucaniae urbe, nuncupatam pro certo etiam habere poteris.

Forensis vero dicta creditur a Forulis, Sabinorum vico.

Velitia a Veliternis, quorum oppidum Velitrae.

Tifata a Campaniae monte Tifata oppidoque cognomine. Quidni vero postrema haec curia *ab ilicetis*, iuxta quae fortasse locus ei obtigerit, nomen accepisse dicatur? Id enim plane vox *Tifata*, testante Festo, denotavit. Ex quo ipso appellationem monti illi Campano fuisse comparatam, quod scilicet consitus ilicetis esset, animadvertit ex eodem Festo Cl. Mazochius (in Camp. Amphith. titulum Commentario p. 51. not. 29.) Ceterum observarunt iam viri docti, in primisque idem Mazochius ibid. quod a Festo vocatur *Tifata Curia*, id non aliud fuisse quam *Iliceta Curii*, non autem, prout alii interpretati sunt, unam e Romanis curiis, de qua nos hactenus. Quod si, uti par esse videtur, pro certo habeatur, iam e curiarum albo Tifatam expungi necesse fuerit, cum non aliud pro ea stet veterum testimonium.

Rapta denique, et *Saucia* ignotae prorsus adhuc habentur originis.

Iam singulis porro Curiis tum propria sacra Deosque, tum in primis templa Romulus attribuit; ubi unaquaeque seorsum rei divinae operam navaret. (Dionys. p. 93.) Hae autem sacrae aedes, triginta numero, eodemque *Curiarum* nomine donatae, omnes initio Palatinum collem, totius tum civitatis domicilium, insederunt. Postea vero, ubi urbs et multitudo increvit, cum minus commode capere illae posse curialium frequentiam viderentur, ampliores alias ad compitum Fabricii construi placuit: ex quo primum tempore discrimen inter *Curias veteres*, et *novas* obtinuit. In his igitur novis aedibus exinde a Curiis sacra fieri coeperunt; quatuor tamen exceptis, scilicet *Forensi*, *Veliensi*, *Rapta*, et *Velitia*, quarum sacra e veteribus per religiones non licuit evocare. (Fest. V. *Novae curiae.*)

Quos autem sacerdotes Curiarum sacra singulos curare iussit itidem Romulus, iis *Curionum* nomenclatura adhaesit. Quibus universis qui porro unus praeerat, *Curio Maximus* nuncupatus est.

In qua quidem tota re expressam non leviter quampiam nostrarum Paroeciarum, sacrique earum regiminis imaginem per te videris.

§. III.

De Variis Tribuum Incrementis, Ac Diverso Earundem Genere.

Quaecunque ad Tribuum rationem spectantia primus earum conditor composuerat, ea usque ad Tarquinii Prisci regnum immota permanserunt. Tum is ita egit, ut singulas in duas partes distribueret; essentque primi, et secundi tum Ra-

mnenses, tum Tatienses, tum Luceres. (Fest. v. *Sex Vestae sacerdotes.*)

Aliam deinde hac de re Servius Tullius iniit rationem, totaque urbe quadrifariam divisa, quatuor omnino Tribus fecit, quas a regionibus ipsis PALATINAM, SVBVRBANAM, COLLINAM, et EXQVILINAM voluit nuncupatas. Qua de causa τοπικὰς (*locales*) has ipsas vocat Dionysius p. 219. cum priores illas a Ramulo institutas γενικὰς (*generales*) dicat: quippe cum recentiores per locorum partes, veteres per gentium genera (quod supra indicavimus) fuerint distributae.

In plures praeterea portiones, quae totidem essent Tribus, agrum Romanum iam satis incolis frequentem idem Servius dispescuit. De harum autem numero cum nihil certi memoriae sit proditum, pro explorato tamen habendum est, plures quam sedecim non fuisse; ita ut quae tunc Tribus in agro habitarent, una cum urbanis non ultra viginti abierint, contra ac nonnulli olim, de quibus meminit Dionysius p. 220. opinati fuerunt; qui usque ad triginta, vel etiam ad plures, iam tu eas adauctas tradidere. Etenim Livius II 21. non ante Claudii, et Servilii consulatum, qui in annum V. C. CCLIX incidit, *Romae Tribus unam et viginti factas* refert.

Vides hinc interim, diversis temporibus, augescente populo, novas veteribus Tribus fuisse adiectas: quod usque eo subinde factum, donec illae ad quinque et triginta evaserunt.

Ex his autem universis illae dumtaxat quatuor, quarum prolata nomina paullo ante sunt, intra urbis moenia continebantur, aliae porro omnes agrum incolebant: ex quo ortum, ut illae *Vrbanae*, hae *Rusticae* vocarentur. Ac principio quidem, licet nobiliores homines, utpote in urbe

plerumque ea tempestate habitantes, in urbanis ferme tribubus recenserentur, nihil tamen ita inter utrasque interfuisse accepimus, ut alterae alteris antecellere dicerentur. Deinde vero id sensim invaluit discrimen, ut rusticae prae urbanis multo haberentur honoratiores. Quod ab eis potissimum fuit causis, tum quod vita rustica in maximam existimationem venisset, tum quod urbanae tribus hominibus infimae notae in dies opplerentur. Quod quidem publica ipsa auctoritate non raro effectum. Ita apud Livium IX 46. per Fabium censorem A. V. CCCCXLIX omnis humillimorum hominum multitudo in urbanas tribus coniecta fuit. Idem praeterea de libertinis factum narratur in Epitome Liv. X in hunc modum: *Libertini in quatuor tribus redacti sunt, cum antea dispersi fuissent.* Eas igitur ob res praestantissimi quique cives vel in agros suos commigrabant, itaque locum in aliqua tribu rustica obtinebant, vel etiam qui in urbe degerent, in rusticas se se tamen adscribi curabant; cum iam censoriae potestatis esset, singulos, in quam vellent, tribum referre.

Non modo autem rusticas tribus urbanis longe excelluisse constat; verum etiam ipsas inter se collatas quibusdam veluti gradibus alias aliis praecivisse iure ac merito existimatur. Certe Cicero pro Balb. 25. significat, Balbum *in Tribum Crustuminam pervenisse*, idque eum praemio legis de ambitu assecutum: qua nimirum sancitum erat, ut qui reum ambitus detulisset, damnassetque, in eius deiu tribum, si prae sua illustrior esset, referretur; uti ad eum locum observavit Manutius. Quare si Balbus in Crustuminam legis beneficio pervenit, dicendum omnino est, in eam tanquam nobiliorem ex alia rustica minus nobili evectum

fuisse. Neque enim credibile videri potest, eum in urbana aliqua tribu locum antea habuisse, hominem nempe praedivitem, et longe honestiorem, quam ut inter urbanam turbam numeraretur. Quod totum (ex eodem Manutio de Comit. Rom. 2.) cum recte admodum stet, hinc non temere quisque colligat, diversam rusticarum tribuum fuisse dignitatem.

Verum ut omnium tandem tribuum tum urbanarum, tum rusticarum nomina in promptu habeantur, uno heic ordine subteximus universa.

Tribus Vrbanae.

I. SVBVRANA, quae inter urbanas prima a Varrone IV L. L. 8. recensetur, a *Subura*, loco urbis, nomen desumpsit. Ipsa Coelium montem, et regionem circa occupavit (17).

II. EXQILINA, ab Exquiliis, quas incolebat, appellationem sortita.

III. COLLINA, a Collibus Quirinali, et Viminali ei attributis.

IV. PALATINA, a monte Palatino, quem una cum Foro, et Capitolio obtinebat.

---

(17) Quoniam cum tribus numerabantur, Suburana omnium prima nominari consuevit, hinc est illud Tullii II Agr. 29. *A Suburna usque ad Arniensem nomina vestra proponat:* quae sententia tantundem est, quasi diceret, *a prima tribu ad ultimam.* Etenim cum Suburana quasi primatum, utpote priore loco recensita, obtineret, tum porro Arniensis velut omnium postrema habebatur, non quidem dignitate, aut origine, sed quod positu esset remotissima.

Tribus Rusticae.

V. Romilia, ita ex Varrone IV L. L. 9. nuncupata fuit, quod *sub Roma* esset, scilicet in agro trans Tiberim, quem Romulus de Veientibus ceperat, ad maritimam usque oram procurrente.

VI. Crvstvmina, vel Clvstvmina, quippe cum utroque modo efferatur, a Crustumerio Sabinorum oppido, in Romanam ditionem transcripto (quod vero longe similius videtur) appellata (18).

---

(18) Non aliunde quidem, quam a Crustumerio, nomen tribum Crustuminam desumpsisse, satis unus Livius demonstrare videtur. Is enim, postquam Lib. II c. 19. narravit Crustumeriam (eandem scilicet ac Crustumerium) captam A. V. CCLV, tum non multo post ad annum CCLIX auctas fuisse Romanas tribus refert. Ex quo certe non exigua datur coniectandi ansa, post occupatam eam Sabinorum urbem, agrumque circa, novam ibi tribum praesertim e Sabinis ipsis iam in civitatem adscitis, factam fuisse, ex eo nimirum more, quem et in aliis conficiendis tribubus obtinuisse deinceps patebit. Confirmat vero non mediocriter huiuscemodi coniecturam alius eiusdem historiographi locus XLII 34. ubi *Sp. Ligustinus ita locutus fertur*: *Sp. Ligustinus tribus Crustumine ex Sabinis sum oriundus, Quirites*: ex quo probabilius opinari liceat, Sabinos in primis eam tribum frequentavisse.

Quanquam autem quod ad nominum cognationem spectat, interesse plus iusto quiddam inter Crustumeriam, et Crustuminam appareat; sciendum tamen est, a Crustumerio *Crustumerinos*, *Crustumeros*, *et Crustuminos* fuisse dictos. Atque hoc postremum sane vocabulum adhibet Livius V 37. cum de Allia Sabinorum flumine sic inquit: *Flumen Allia Crustuminis montibus praealto defluens alveo, haud multum infra viam Tiberino amni miscetur.*

VII. Lemonia, a pago Lemonio, qui, testante Festo, fuit extra portam Capenam via Latina.

VIII. Pupinia, aut Popinia (nam utrumque in vetustis monumentis occurrit) ab agro Pupinio, ut habetur apud eumdem Festum, dicta est: qui ager (agri Romani pars sane quam infecunda (19)) *Pupinia* et ipse vocatus, cis Tiberim non procul ab urbe aberat; quod patet ex Livio XXVI 9.

IX. Veientina, ab agri Veientis parte altera, quae Veios spectabat, ei attributa; cum pars altera ad mare vergens tribui, ut paullo ante dictum, Romiliae cessisset.

X. Galeria (de qua Onuphr. Panvinius in de Civit. Rom. 50. eam iniicit suspicionem, num forte a Galesio Etruriae flumine primum *Galesa*, tum *Galeria* dicta fuerit) unde omnino nomenclaturam hauserit, non liquet: quemadmodum et quae duae proxime sequuntur.

XI. Pollia.

XII. Voltinia.

XIII. Claudia, ab Appio Claudio appellationem mutuata; quod constat ex Livio II 16.

Heic autem res ipsa monere iubet cum multis tribubus appellationes a locis adscitae fuerint, alias porro a gentilitio familiarum in ipsas adscriptarum nomine fuisse nuncupatas. Quod tamen

(19) Hinc est, ut Tullius II Agr. 35. de colonia civium Romanorum, quae Capuam deducenda foret, in hanc sententiam loquatur: *Romam in montibus positam, et convallibus . . . . prae sua Capua, Planissimo in loco explicata . . . . irridebunt, atque contemnent. Agros vero Vaticanum, et Pupiniam cum suis optimis atque uberibus campis conferendos scilicet non putabunt.*

non necesse est dicere (quod vulgo opinantur) ita contigisse, ut illae ex aliquo prius loco , ut ceterae , denominatae sint; deinde vero, postquam illustris aliqua familia , sive gens , in eas relata fuit, novam ex hac nomenclaturam , veteri posita , acceperint. Licet enim id de nonnullis verum esse detur , potuerunt tamen aliae statim ab initio gentile quodpiam celebris familiae nomen sibi assumere. Nulla certe est veterum auctoritas, quae id nos , quod vero simillimum videtur , opinari prohibeat (20).

Iam porro reliquae tribus , queis gentium appellationes impartitae sunt, universae en tibi continenti serie sistuntur.

XIV. AEmilia.
XV. Cornelia.
XVI. Fabia.
XVII. Horatia.
XVIII. Menenia.
XIX. Papiria.
XX. Sergia.
XXI. Vetvria.

Atque habes hactenus unam et viginti tribus : quem num⸗um A. V. CCLIX expletum fuisse tradit, et ut supra animadvertimus, Livius II 21.

---

(20) Afferri contra solet Varronis testimonium, quasi eo declaretur, omnes initio tribus a locis fuisse nominatas. Id vero non videtur colligi ex eius verbis posse. Locus sane, qui producitur, est IV L. L. 9. ita comparatus: *Ab hoc quoque quatuor partes urbis Tribus dictae , et ab locis Suburana , Exquilina , Collina , Palatina, Quinta , quod sub Roma , Romilia. Sic reliquae extra ab iis rebus , de quibus in tribuum libris scripsi.* Vnde qui , quod contenditur , confici queat , non videmus: neque enim ille a locis, sed communi nomine a rebus reliquas appellatas asseverat.

Ex his autem quaenam, aut quot fuerint, quibus accedentibus Servianae tribus excreverint, haud certo constat. Panvinius quidem (in de Civit. Rom. 50.) arbitratur, Crustuminam tribum unam earum fuisse, quae primis adiectae sint. Et perplacet sane coniectura: nam si a Crustumerio, ut antea innuimus, nomen ea accepit, non ante certe captum id oppidum condi debuit: id autem in potestatem Romanorum venisse ann. CCLIV auctor est Livius II 19. Itaque post hoc tempus, longe Servii regno inferius, constari eam oportuit.

Cum Crustumina porro iungit Sigonius (de antiquo iure civium Rom. I 3.) Veientinam; quam scilicet suspicatur ex earum etiam numero fuisse, quae postea additae primis sint: at nullo id satis valido comprobat argumento. Itaque nobis magis animo sedet, pro Veientina Claudiam in harum censum referre. Hanc sane tribum, quam alii credunt a Servio factam, deinde, Appio Claudio in eam adscripto, vetus nomen a loco aliquo habitum cum novo *Claudiae* commutasse; arbitramur nos potius, tunc omnino primum ortam fuisse, cum Appius Claudius Romana civitate, agroque sibi suisque attributo donatus est.

Et certe etsi Livii hac de re locus aliquanto obscurior sit, facilius tamen illinc id, quod contendimus, quam quidvis aliud elicias. Inquit enim II 16. *Actius Clausus, cui postea Ap. Claudio fuit Romae nomen . . . . . . ab Regillo magna clientium comitatus manu, Romam transfugit. His civitas data, agerque trans Anienem. Vetus Claudia tribus, additis postea novis tribulibus, qui ex eo venirent agro, appellata.*

Vide per te, num non ex toto contextu id videatur libere posse dici, eam tribum eo ipso tempore, nec vero plane statim, sed postquam

novi tribules accesserunt, fuisse institutam. At enim inquies, si tum primum in lucem prodiit, ecquid *veterem* vocavit Romanarum rerum scriptor? Scilicet spectatis aliis recentioribus: quasi diceret, iam antiquitus, priusquam aliae formarentur, conditam fuisse, quae *Claudia* nuncupata sit.

Verum quid multa? Dionysius p. 308. ab hac sententia plane stat: postquam enim narravit Claudium Romam cum plurima turba commigrasse, et a senatu populoque Rom. tum in patriciorum ordinem fuisse relatum, tum loco in urbe, quantum ad aedificandum vellet, impartitum, postremo subdit: χωραν τε αὐτῷ προσεθηκεν ἐκ τῆς δημοσιας . . . . ὡς ἔχοι διανεῖμαι κλήρους ἁπασι τοῖς περὶ αὐτόν, ἀφ᾽ ὧν καὶ φυλη τις εγενετο σὺν χρόνῳ, Κλαυδια καλυμένη. *Agrum etiam ex publico dederunt . . . . . quem viritim inter suos divideret; e quibus et tribus quaedam progressu temporis facta est, nomine Claudia.*

Itaque sic nostro periculo statuas licet, praeter Crustuminam, Claudiam quoque tribum Servianis fuisse appositam: ac proinde Servium non plures undeviginti condidisse.

Accipe tunc vero tandem a Livio, quae dein reliquae, et quo quaeque tempore additae fuerint.

XXII. Stellatina, a Stellate, non illo quidem Campaniae, sed Etruriae campo; ut e Festi loco feliciter restituto collegit Pauvinius de Civit. Rom. 50.

XXIII. Tromentina, a campo Tromento dicta, prout testatur idem Festus; quem campum in Etruria item fuisse pro certo habetur.

XXIV. Sabatina, a Tusciae lacu Sabate; quod idem asserit.

XXV. Arniensis, vel Arnensis, ab Arno eiusdem Tuscae regionis flumine.

De his quatuor ita Livius VI 5. *Tribus quatuor*, inquit, *ex novis civibus additae, Stellatina, Tromentina, Sabatina, Narniensis* (nimirum Arniensis; corrupto, ut et alibi, vocabulo): *eaeque vigintiquinque tribuum numerum explevere.* Quod factum A. V. CCCLXIX.

Ex hoc autem appellationum genere, queis hae Tribus donatae sunt, ne illud, quaeso, concludas, aut eas extra agrum Romanum (quod nonnullis placuit) in ipsis locis, quorum gerebant nomina, fuisse positas; aut vero haec loca ad Romanorum ditionem spectasse, id quod nulla annalium memoria habet. Sed potius sic statue, fuisse quidem eiusmodi Tribus, perinde ac reliquas, in agro Romano constitutas; nomenclaturas vero a locis, unde originem duxerint, scilicet unde novi cives ad eas conflandas venerint, assumpsisse.

XXVI. Pomptina, a Pomptino agro circa Tarracinas: qui antea Volscorum fuit, dein Romanae ditionis factus, ut patet ex Livio VI 21.

XXVII. Popilla, Popilia, Poblilia, aut Publilia, variante sic nomine, unde dicta sit, non liquet. Fortasse autem a loco aliquo Volsco, perinde ac Pomptina, quam sociam habuit, appellata.

Utramque A. V. CCCXCVII enatam tradit per haec verba Livius VII 15. *Eodem anno duae tribus, Pomptina, et Publilia, additae.*

XXVIII. Maecia, quam a quodam castro nomen adeptam testatur Festus, a Maecio, quod Latinorum fuerit oppidum, nuncupata creditur Panvinio ibid.

XXIV. Scaptia, a Latii urbe Scaptia.

Livius quidem, postquam Lib. VIII 11. narravit, A. V. CDXIV, Latinos Campanosque ab Romanis agro multatos, necnon Latinum, Privernatem, Falernumque agrum usque ad Vulturnum flumen plebi Romanae divisum; tum eiusdem Libri cap. 17. ita refert: *Eodem anno* (videlicet CDXXI) *census actus, novique cives censi: tribus propter eos additae, Maecia, et Scaptia: censores addiderunt, Q. Publilius Philo, S. Postumius.* Vnde intelligitur, quae novae fiebant tribus, iis appellationes ab agris ipsis hosti ademptis, ubi locabantur, adsciscì suevisse.

XXX. Vfentina, sive Ovfentina, ab Vfente flumine in agro Privernate, prout diserte declaravit Festus.

XXXI. Falerina, a Falerno Campaniae agro videtur dicta.

De utraque sic Livius IX 20. *Eodem anno* (nimirum CDXXXVI) . . . . . *duae Romae additae tribus, Vfentina, ac Falerina.*

XXXII. Aniensis, ab Aniene Sabinorum fluvio.

XXXIII. Terentina, forsitan a Terento: qui locus fuit in campo Martio ad Tiberim, memoratus Ovidio I Fast. 501.

Fluminis illa latus, cui sunt vada iuncta Terenti,
Aspicit, et sparsas per loca sola casas.

Harum tribuum mentionem iniicit Livius X 9. *Lustrum*, inquit, *eo anno* (i. e. CDLIII.) *conditum a P. Sempronio Sopho, et P. Sulpitio Saverrione censoribus: tribusque additae duae, Aniensis, ac Terentina.*

XXXIV. Velina, a Velino Sabinorum lacu.

XXXV. Qvirina, a Curensibus Sabinis, pro eo ac videtur Festo, nomen adepta.

In Epit. Liv. XIX de his legitur: *Duae tribus adiectae sunt, Velina, et Quirina.*

§. IV.

De Aliis Tribuum Extra XXXV Numerum Nominibus.

In quemcumque veteris scriptoris locum, ubi universae Romanae tribus producantur, incideris, non alium quam XXXV numerum earum deprehendes. Et tamen sunt adhuc non pauca alia nomina, quae plures eas, quam vulgo feruntur, exstitisse demonstrent. Collegit illa quidem sedulus Romanarum rerum indagator Onuphrius Panvinius (in de Civit. Rom. 51.) aptisque, literatorum praesertim lapidum, testimoniis confirmavit. Sunt autem haec fere ipsa: CAMILLA, CLVENTIA, CLVVIA, DVMIA, MVCIA, OCRICVLANA, PAPIA, CESTIA, SAPPINIA, IVLIA, FLAVIA, VLPIA, ALLIA. Paucula vero alia satis incertae fidei, qualia auctori ipsi visa sunt, utpote nil rei nostrae commodantia, referre supersedemus.

Quid igitur de hisce tot appellationibus, quas designandis et ipsas tribubus fuisse mancipatas constat, statuendum erit? Scilicet primum omnium sciatur illud oportet, fuisse reapse tempus, quo Romanae tribus numerum XXXV excesserunt. Etenim ubi per legem Iuliam a Caesare consule latam aliquot Italiae populis Romana civitas data fuit, tum decem aliae tribus auctore Appiano (Bell. Civ. I.) aut certe octo, pro eo ac refert Paterculus II factae sunt, in quas tanta novorum

civium multitudo describeretur: et in quas mox etiam ceteri omnes Itali, civitate pariter donati, coniecti sunt. Post hanc igitur factam accessionem Romanae quidem tribus XLIII, vel etiam XLV numerabantur. Verum eiusmodi earum ratio non nisi ad quatuor prope annos perduravit. Exinde enim omni recens adscitorum civium frequentia in veteres XXXV immissa, novae illae tribus penitus extinctae sunt.

Vides hinc interim, ad quas tribus spectarint nomina, quae extra XXXV numerum veluti vagantia se se produnt. Ad eas nempe, si non omnia, at nonnulla pertinuerunt, quae vix dum ortae, sublatae statim de medio fuerunt.

Sed et alia porro fuit causa, cur huiusmodi nomenclaturae plures, quam necesse videatur, prosilierint; quod scilicet aliqua nonnunquam tribus, aut prisca appellatione reiecta novam assumserit, aut aliam veteri addiderit. Id procul dubio, praeter reliquas, Sappiniae, quae una est e tribubus huc collatis, contigisse putamus. Neque enim haec de illarum genere fuit, quae vix editae interierunt, sed par ceteris, quae stabile in Romano agro domicilium habuerunt. Demonstrant id verba Livii XXXI 2. *P. AElius Cos. . . . . C. Oppium praefectum socium has tumultuaria manu per Vmbriam, quam TRIBVM SAPPINIAM vocant, agrum Boiorum invadere iussit.* Ac simili ratione apud eumdem scriptorem XXXIII 36. *L. Furius Purpureo alter consul per tribum Sappiniam in Boios venit.* Itaque omnino credi posse, vel potius debere opinamur, hanc tribum unam ex XXXV fuisse, quae aut priscum nomen cum hoc altero commutarit, aut etiam novo sibi vindicato utrumque retinuerit.

Atque id certe omnibus iis tribubus, quae Im-

peratorum nomina prae se ferunt, usuvenisse viderunt iam viri docti. Ita *Iulia*, ab Augusto sumpta appellatione, dicta fuit non tribus aliqua de integro constituta, sed una e veteribus, ita in Imperatoris honorem senatu fieri iubente, prout refert Dio p. 242. Idem porro factum puta in *Flavia*, atque in *Vlpia*: quarum alteri aut a Vespasiano, aut a Tito, Domitianove eius filiis comparatum nomen; alteri porro a Traiano. Idem denique de *AElia* queas arbitrari: modo haec ab Hadriano, et non a gente AElia nomen duxerit.

CAPVT III.

De Tribus Romanorum Civium Ordinibus.

DIstributo in Tribus et Curias populo, alteram mox eiusdem aggressus fuit Romulus divisionem, videlicet in tres Ordines, SENATORIVM, EQVESTREM, et PLEBEIVM. Quod ut rite praestaret, hanc iniit viam.

Primum eos qui genere, virtute, opibus florerent, a reliquis secrevit: illosque *Patres*, sive *Patricios* (21); ceteros *Plebeios* nuncupavit. Tum

---

(21) Patet id quidem ex Dionysii verbis p. 85 qui eosdem modo Πατέρας (*Patres*) modo Εὐπατρίδας et

latis legibus constituit, ut Patricii quidem sacra curarent, magistratus gererent, ius redderent, ac penes eos dumtaxat essent auspicia: (de qua re vide sis Livium VI: 41.) Plebeii vero colendis agris, pecoribus alendis, et aliis quaestuosis artibus vacarent.

Iam vero ne, discreta bifariam civitate, animi a se invicem, quod timeri poterat, dissociarentur, patrocinia et clientelas inter utrosque instituit: ut scilicet plebeii quoscunque vellent e patriciis in Patronos possent sibi deligere, quos tamen perinde ac patres deberent colere; patricii autem plebeiis in suam fidem receptis omni studio ac sedulitate adesse cogerentur. Ex qua officiorum vicissitudine (22) fieret, ut concordia in-

---

Πατρικίους (*Patricios*) appellat.

Certe Athenis, prout ipse testatur, non absimilis mos viguit; ubi illustribus familiis ortis Εὐπατρίδαι (*Patricii*), reliqui Ἀγροῖκοι (*Rustici*) dicebantur.

Hinc interim noscitur, cum Dionysius primos illos a reliquo populo seiunctos nominavit *Patricios*, non aliud per eam vocem significasse, quam Optimates; sive eos, qui, ut mox subiicit, genus a Patribus, nimirum a claris maioribus, duxissent.

(22) Tanta inter Patronos, et Clientes necessitudinis coniunctio intercessit, ut nihil supra. Nam illi quidem non solum gratuito, et sine ulla spe munerum (de quo et cautum legibus Cincia, et Titia dein fuit) clientum rationes tueri debebant, sed etiam ea fide officio suo perfungi; ut si quid in eo deliquissent, gravissimum admisisse facinus crederentur, ut notatur a Gellio XX 1. obnoxiique fierent poenae, irrogatae lege XII Tabb. quam refert Servius ad Aen. VI 609. *PATRONVS SI CLIENTI FRAVDEM FECERIT, SACER ESTO.* Rursus vero Clientium id erat, ut omni illos observantiae officiique genere, non

ter utrosque et firmiter constaret, et quotidie arctius coalesceret. (Dionys. p. 84.)

His ita constitutis, mentem deinde eo intendit, ut Senatorium ordinem pararet: quod iam videbimus.

§. I.

De Senatu.

Vt haberet primus ille Romanorum rex amplissimum virorum consilium, quo in administranda republica uteretur, certum quemdam e patriciis deligendum numerum ad id curavit. Itaque ipse primo unum legit, qui urbi, absente eo, praeesset. Singulas dein tribus iussit tres, sapientia in primis praestantes, allegere: tum curiis mandavit, ut simili ratione ternos cooptarent: unde cum nonaginta novem exstitissent, his omnibus illum praefecit, quem primum ipse selegerat. Atque hoc sane pacto centenarius numerus confectus est. Hos autem universos ob auctoritatem aetatemque appellavit *Patres*, et *Senatores*: quibus dedit, ut quaecunque a rege ad ipsos deferrentur, de his decernerent. Is igitur fuit initio conditus per Romulum Senatus; prout enucleate refert Dionysius p. 85. et seq.

---

secus ac liberti patronos suos, praesertim in temporum difficultatibus, prosequerentur. Ad summam Patrones patrum loco, Clientes tamquam filios haberi oportere, sanctissimi cuiusdam iuris erat. Gell. V 13.

Postquam vero rex idem Sabinos in urbem accepit, tunc alios ex illis Patricios renunciavit: e quibus porro centum alios viros per curiarum suffragia senatui adscripsit, qui (sicut et reliqui omnes deinceps allecti) *Patres Conscripti* audiverunt. Ita exinde Senatus ducenos habuit. Rem totam narrat idem Dionysius p. 111.

Constitit autem is numerus ad Tarquinii Prisci aetatem usque : per quem iterum auctus ad trecentos evasit.

Quod porro ad reipublicae aetates attinet, id habeto, per Sullam dictatorem amplificatum fuisse senatum, pro eo ac scribit Appianus Civil. I, licet de numero nihil compertum sit. Illud tamen pro certo haberi potest, hunc ipsum quadrigentos transgressum esse. Etenim non longissimo post tempore Cicero (I ad Att. 14. et Orat. post Red. in Sen. 10.) de duplici senatu habito verba faciens, in utroque amplius quadrigentos interfuisse declarat.

Caesare deinde dominante nongentos exstitisse Patres, postea vero Triumvirorum opera mille, tradit Dio p. 237. Nimirum, occiso Caesare, *Triumviri reipublicae constituendae* (quo se nomine appellatos voluerunt) Lepidus, Antonius, et Octavianus, per speciem publica commoda accurandi, ad res administrandas agressi sunt. Hi igitur, ut suam dominationem potenti aliqua factione firmarent, non paucos suarum partium in summum illud consilium induxerunt.

Sed id tandem indignatus Augustus iam rerum dominus, totum senatum ad sexcentos redegit, teste eodem Dione p. 530.

Hactenus de Senatus origine, et incrementis. Videndum nunc de multis, quae ad eum pertinuerunt ; tum scilicet de iis, quae ad obtinendum

senatorium gradum necesse forent; tum de variis senatorum insignibus; tum de senatus habendi loco, tempore ac ratione.

Reqvisita Ad Locvm Senatorivm Asseqvendvm.

Qui legendorum Senatorum curam gerebant (olim scilicet Reges, libera vero republica prius Consules, tum Censores; sub Caesaribus autem Triumviri senatui legendo), ii neminem in senatum immittebant, cui aliquid eorum, quae e senatorio instituto postulabantur deesset. Fuere haec autem potissimum *Census*, *Aetas*, *Magistratus*, *Ordo*, *et Genus.*

1. *Census* debuit esse octingenta millia H. S. quem postea Augustus ad duodecies extulit.

2. *Aetas* non minor quinque et viginti annis.

3. *Magistratus* saltem Quaestura, ut videlicet iam initum id munus esset.

4. *Ordo* plerumque equester: quem propterea *Seminarium senatus* dictum accepimus.

5. *Genus* denique patricium ad annum fere CCCII ab Vrbe condita, uti coniicit Sigonius I de antiq. iure Civ. Rom. 2. Itaque per id aevum nemo Senator non patricius fuit; cum quicumque interea temporis e plebe allecti sunt, eos antea in patriciorum numerum, deinde in senatum adscribere moris fuerit. Hanc sane rationem instituit Tarquinius Priscus: hanc ipsam Iunius Brutus consul, cum collega Valerio; qui ad plebis vel gratiam conciliandam, vel concordiam fovendam, cum homines illius ordinis in senatum cooptare statuissent, non ante tamen id peregerunt, quam eos inter patricios retulissent. Rem luculenter si-

gnificat Dionysius (23). Verum ubi demum immutatum hoc instituti genus fuit, senatus plebeiis aeque ac patriciis patuit.

---

(23) Haec de Tarquinio Prisco habentur apud Dionysium p. 199. Ἐπιλέξας ἄνδρας ἑκατὸν ἐκ πάντων τῶν δημοτικῶν . . . . πατρικίους ἐποίησε, καὶ κατέταξεν εἰς τὸν τῶν βουλευτῶν ἀριθμόν. *Cum delegisset viros centum ex tota plebe .... PATRICIOS FECIT, et in senatorum numerum adscripsit.* De Bruto autem, et Valerio consulibus sic Idem narrat p. 287. Πρῶτον μὲν ἐκ τῶν δημοτικῶν τοὺς κρατίστους ἐπιλέξαντες, πατρικίους ἐποίησαν, καὶ συνεπλήρωσαν ἐξ αὐτῶν τὴν βουλὴν εἰς τριακοσίους. *Primum cum ex plebe optimos elegissent, PATRICIOS FECERVNT, et suppleverunt ex his senatum ad trecentos.* E quibus profecto vides, hominibus de plebe non nisi per patriciatum attingere senatorium gradum illis aetatibus licuisse. Sed et illud hinc datur intelligi, causam novos patricios allegendi eam plerumque tunc temporis fuisse, ut aditus eisdem ad illum ordinem reseraretur.

Longe vero alia fuit ratio, quare post diuturnam temporum intercapedinem rursus patriciorum numerum auxerunt Romanae rei moderatores, ne videlicet huius generis familiae penitus interirent. Patet hoc e dictis Taciti Annal. XI de Claudio Imperatore: *In numerum patriciorum adscivit Caesar* (Claudius) *vetustissimum quemque e senatu*, (homines nimirum plebeii sanguinis) *aut quibus clari parentes fuerant; paucis iam reliquis familiarum, quas Romulus maiorum, et L. Brutus minorum gentium appellaverant; exhaustis etiam, quas Dictator Caesar lege Cassia, et Princeps Augustus lege Saenia sublegerant.* Vnde id praeterea noscas licet, duplici appellatione denominatos fuisse patricios; et illos quidem, qui primi a Romulo lecti sunt, postquam is alteros aggregavit, cognomen *maiorum gentium* assumpsisse, recentiores vero *minorum gentium* dictos, uti et reliquos deinceps: quam ipsam proinde nomenclaturam etiam suis Brutus impertiret oportuit. Hoc autem discrimen in patribus pariter obtinuisse, ut alii *maio-*

Adhaec vero, ut quis senatorio loco dignus haberi posset, fama etiam, et vitae splendor spectabatur; cum et qui turpi iudicio damnati aliquando fuissent, et qui humili aliqua arte quaestum fecissent, curia excluderentur. (Cic. pro Cluent. 42. et VI Fam. 18.)

SENATORVM INSIGNIA.

Socia senatoriae dignitatis ornamenta fuerunt LATVS CLAVVS, CALCEI, et LVNVLA.

1. Erat quidem LATVS CLAVVS lata quaedam fascia e purpura, tunicae ante pectus assuta; cuius gratia Patres ipsi sunt non raro *Laticlavii* appellati. Id autem insigne post eversam rempublicam a filiis etiam senatorum, nec non illustriorum equitum, usurpatum novo iure fuisse constat (24).

2. CALCEORVM porro id praecipuum fuit, ut eorundem lora medium ferme crus obvoluta circumplicarent. Hinc illud Flacci I Stat. 6.

---

rum, alii *minorum gentium* vocarentur, indicat Livius I 35.

(24) Iis quidem, qui e Senatoribus orti essent, lati clavi gestandi potestatem ab Augusto factam refert Suetonius in eius vit. 36. hoc pacto: *Liberis senatorum, quo celerius reipublicae assuescerent, protinus virilem togam, latum clavum induere, et* (ex vetere in rep. more iamdiu abolito) *curiae interesse permisit.*

Idem vero ornamenti genus filiis quoque clariorum equitum attributum novimus: at aliqua ne consuetudine sensim invecta, an lata lege id factum sit, non liquet. Rem certe indubiam facit Ovidius, qui de se ipso ac fratre, equestri loco natis, sic canit IV Trist. 10.

Interea tacito passu labentibus annis,
Liberior fratri sumpta mihique toga est.
Induiturque humeris cum lato purpura clavo

Vt quisque insanus nigris medium impediit crus
Pellibus, et latum demisit pectore clavum,
Audit continuo; quis homo hic est?

Quae calceorum ratio cum tantummodo senatorum esset, ea de causa *mutasse calceos* dicitur a Tullio XIII Philipp. 13. certus quidam, qui senatoriam dignitatem sibi arrogaverat. Scilicet inquit: *Est etiam Asinius quidam Senator voluntarius, lectus ipse a se. Apertam curiam vidit post Caesaris mortem: MVTAVIT CALCEOS, Pater Conscriptus repente factus est.*

3. Lvnvla denique (qua Centenarium primorum patrum numerum designatum fuisse credendum est) ornamentum erat eburneum, quo senatorum, non quidem omnium, sed patriciorum solummodo, calcei ornabantur. Illa autem ad quam potissimum pedis partem, quod quaeri solet, adhiberetur, nec facile est divinare, nec vero magni interest novisse. Eandem porro sequiore aevo, non secus ad tunicam laticlaviam, adolescentibus claro genere ortis permissam invenies(25).

Locvs Habendo Senatvi Attribvtvs.

E prisco instituto fuit, ut locus, ubi senatus haberetur, esset ante per augures consecratus: cuius sane generis loca *Templa* suo fuere vocabulo nuncupata. Eo igitur iure fuerunt curiae, quas

(25) Satis quidem nova haec ratio patet in illo Statii V. Silv. in Protreptico ad Crispinum a.
Sic te, clare puer, genitum sibi curia sensit
Primaque PATRICIA clausit vestigia LVNA

publica auctoritas supremo illi consilio destinavit. Quo plane spectat, quod retulit Gellius XIV 7. *Nisi in loco per augures constituto, quod templum appellaretur, senatus consultum factum esset, iustum id non fuisse. Propterea et in curia Hostilia, et in Pompeia, et post in Iulia, cum profana ea loca fuissent, templa esse per augures constituta, ut in iis senatus consulta more maiorum iusta fieri possent.* Atque ab hac est causa, cur Tullius pro Mil. 33. curiam ipsam *Templum sanctitatis* appellaverit.

Sed vero etiam in templa diis dedicata cogi non raro senatum suevisse testantur veterum annalium monumenta. Inter haec autem memorabilis in primis est aedes Bellonae, in quam extra moenia positam duabus modo de causis conveniebant patres, vel ut audirentur exterarum gentium legati, quos intro admittere placitum non esset; vel ut Romanis magistratibus, qui ad urbem essent, senatus daretur. Hi autem fuerunt, tum qui ab administrata provincia gestoque bello reversi, non ante in urbem, quam triumphum peterent, ingrediebantur; tum qui provincialis potestatis ornamentis instructi, in suas non adhuc provincias profecti erant: utrisque enim cum imperii insignibus intra moenia commorari, nisi iubente populo, nefas erat (26).

---

(26) Huius quidem moris quod ad eos attinet, qui confecto bello revertissent, illustre exstat exemplum apud Livium XXVIII 9. ubi cum de M. Livio, et C. Claudio Nerone coss. agatur, haec habentur: *Inde* (consules ipsi) *praemisso edicto, ut triduo post frequens senatus ad aedem Bellonae adesset, omni multitudine obviam effusa, ad urbem accessere.* Paullo autem post subditur: *In senatum cum, more omnium imperatorum expositis rebus ab se gestis, postulas-*

SENATORIORVM
CONVENTVVM DIES.

Stati habendo senatui dies nulli reipublicae tempore fuerunt; si unum modo excipias, quo scilicet novi consules magistratum inibant, qui fuit olim quidem Kalendae Sextiles; postea Idus Maiae, tum Idus Martiae, postremo Kalendae Ianuariae.

Augustus omnium primus certos in singulos menses constituit dies, quibus senatus stabili iure ageretur, referente Dione p. 549. Qui tamen historiographus non adiecit, quot, aut quinam hi dies essent. Horum autem duos aliunde accepimus. Etenim Suetonius vit. Aug. 35. ut traderet Augustum, quos sua lege addixerat senatui dies, postea imminuisse, scripsit in haec verba: *Sanxit . . . . ne plus quam bis in mense legitimus senatus ageretur, Kalendis, et Idibus.* Atque ex hoc illud porro cognoscis, qui senatus diebus lege statutis habebatur, eum *legitimum* fuisse nuncupatum; eum qui rursus extra ordinem convocabatur, *indictus* diceretur: quod profecto discrimen ab eadem prima illa per Octavianum facta dierum attributione originem duxit.

Illud vero heic animadvertendum se se offert, diebus comitialibus, quibus nimirum comitia habebantur, senatum convocari nequivisse, ne patres

---

sent, ut pro rep. fortiter fideliterque administrata, et diis immortalibus haberetur honos, et ipsis triumphantibus inire urbem liceret . . . patres . . . triumphum utrique decreverunt.

Eos porro, qui cum potestate provinciali nondum adhuc in provincias profecti erant, *ad urbem* item *fuisse* testatur Ascon. ad Act. I in Verr. 15.

aut honores petere, aut suffragia ferre prohiberentur. Hinc est, ut Cicero II ad Q. Fratr. 2. scripserit: *Consecuti sunt dies comitiales, per quos senatus haberi non poterat.* Quam tamen legem, ubi res in senatu agenda ea esset, quae extrahi non posse videretur, posthabitam fuisse satis significatur apud eundem VIII Fam. 8. ubi senatus consultum factum dicitur: *uti consules . . . de consularibus provinciis ad senatum referrent . . . utique eius rei causa per dies comitiales senatum haberent.* Sed vero etiam in eiusmodi causis mos fuit, aut comitia differre, aut post ea confecta ipso illo die senatum habere. Exempla, si inspicere collibuerit, exhibent Cicero pro Mur. 25. et Livius XXXIX 39.

Senatus Agendi Ratio.

Restat nunc, ut, qua ratione agi senatus consueverit, videamus.

Qua in re sciendum illud in primis est, fuisse e magistratibus plures, quibus habendi senatus potestas esset: quos hoc ordine ex Varrone recenset Gellius XIV 7. Dictatorem, Consules, Praetores, Tribunos plebis, Interregem, Praefectum urbis: adhaec Tribunos militum consulari potestate, Decemviros legibus scribendis, et Triumviros reipublicae constituendae. Quibus tamen addendus est (ex Livio VIII 33. atque ex Tullio III de Legg. 4.) Magister equitum. Ex his autem, quando plures simul in urbe erant, *qui prior aliis esset, ei potissimum senatus consulendi ius fuit*, ut ibidem refertur a Gellio; modo tamen Tribunos plebis excipias, quibus nulli ad id morae maior potestas erat. Quod vel ratio ipsa declarat: nam si secus factum esset, cum num-

quam Romae non esset potior aliquis magistratus, nimirum aut consul, aut praetor, aut alius extra ordinem, nunquam ei senatum agere licuisset.

Vocabantur vero patres vel edicto proposito, vel, ubi res dilationem temporis non ferret, per praeconem. (Cic. XI Fam. 6. et Liv. III 38.) Eis autem, nisi iusta aliqua causa impedirentur, liberum non erat non adesse. Hinc lex apud Tullium III de Legg. 4. *SENATORI, QVI NEC ADERIT, AVT CAVSA, AVT CVLPA ESTO.* In quam sane culpam ita animadverti solebat, ut reo aut pignora auferrentur, eaque, si adhuc ille renueret parere, venderentur, quod Cicero III de Orat. 1. *caedere* (27) *pignora* dixit; aut multa irrogaretur. (Idem I Philip. 5. et Gell. XVI

---

(27) *Caedendi* sane vocabulum valuisse tantundem olim, quantum *consumere*, declarat Nonius IV 97. per illud Lucilii:

Lana, opus omne perit: squalor, tineae omnia caedunt.

Itaque *caedere pignora* ex antiquae legis formula dictum est, pro vendere atque distrahere.

Sed et illa hanc verbi huius notionem magis illustrant, quod quae bona auctioni mancipabantur, ea vel a reliquis damnati hominis fortunis (ubi non hae omnes voci praeconis subiiciendae forent) veluti abscinderentur, vel a diversis uti fit, coempta quasi concidi ac dissecari viderentur. Quibus ipsis de causis in auctionariam quoque rem vox *Sectio* (quae pro vi a priore illa non multum abludit) inducta fuit: per quam aut auctio ipsa, aut publicata bona indicarentur. Ita Cicero II Philipp. 26. *Exspectantibus*, inquit, *omnibus, quisnam esset .... qui ad illud scelus sectionis* (videlicet auctionis bonorum Pompeii) *auderet accedere, inventus est nemo, praeter Antonium.* Caesar vero II de Bell. Gall. 33. *Refractis portis, atque intromissis militibus nostris sectionem eius oppidi universam* (i.e. bona omnia) *Caesar vendidit,*

7.) Verum age ad rationem in agendo senatu habitam veniamus.

I. Postquam patres convenerant, magistratus qui senatum habebat (plerumque consul) primum omnium victimam ante curiam mactabat, per quam et perlitaret, et auspicaretur. (App. Bell. Civ. II.) Inde curiam ingressus referebat, prius quidem (uti constat ex Gellio XIV 7.) de rebus divinis, tum de humanis, ita ferme exorsus orationem: QVOD BONAM, FAVSTVM, FELIX, FORTVNATVM AC SALVTARE SIT, id quod veteres illi omnibus agendis rebus praefari ominis causa solebant. Dein vero statim prosequebatur in aliquam id genus formulam: QVID FIERI PLACET DE, etc. ? vel: QVID VIDETVR DE, etc. ? aut: REFERIMVS AD VOS P. C., etc. (Briss. de Form. p. 152.)

II. Relatione absoluta, sententiam rogabantur patres ea verborum ratione, quae legitur cum alibi, tum apud Tullium III ad Att. 3. Dic, MARCE TVLLI.

Ac si quidem senatus haberetur ante comitia, solebat semper sane olim primus consuli (teste Gellio XIV 7.) Princeps senatus, is nimirum, qui a censoribus in recensione senatorum lectus fuerat priore loco (28): at si post comitia, con-

(28) Erat quidem is principatus eius generis, ut cum nulla ei potestatis, aut imperii adnexa vis esset, summae tamen dignitatis haberetur. Itaque ad eum non fere, nisi spectatissimus quisque, extrahi solebat. Qui autem eo honore insignitus semel fuisset, quando dein iterum legebatur senatus (quod singulis ferme lustris, prout dicetur in de Magistratibus, fiebat) plerumque in illius possessione firmabatur. Quare de sollemni more desumptum est, quod legitur apud Livium XXXIV 44. *Censores Sex. Aelius Paetus, et C. Cornelius Cethegus principem senatus P. Scipio-*

sules designati; quod palam facit Cicero V Philipp. 13. Post hos vero suo deinceps ordine consulares, praetorii, aedilitii, tribunitii, quaestorii.

Verum quod ad primam sententiam rogandam attinet, invectus postea mos fuit, ut ante reliquos universos, quemcumque vellet consul, interrogaretur; modo tamen is e consularibus esset, prout asseverat ibidem Gellius: nisi quod quae ratio instituta Kalendis Ianuariis fuisset, eadem toto servari anno deberet. Quod tamen ipsum a Iulio Caesare (tradente Suetonio in eius vita 21.) praetermissum est. Quin et Augustus nullum prorsus in perrogandis sententiis ordinem tenuit, ut quisque intentiore ad rem animo adesset. (Suet. in vit. Aug. 35.)

III. Qui sententiam fuerat interrogatus, vel stans suam pronuntiabat, et quidem oratione quam vellet producta; vel alienae assentiebatur. Id autem ita fiebat, ut sedens diceret: *Assentior*; quod quidem fuit, *Assentiri verbo*. Insignis est hanc totam in rem Livii locus XXVII 34. qui sic habet: *L. Veturius, et P. Licinius censores cum* (M. Livium) *tonderi, et squalorem deponere, et in senatum venire, fungique aliis publicis muneribus coëgerunt. Sed tum quoque aut VERBO ASSENTIEBATUR, aut pedibus in sententiam ibat* (cum scilicet discessio fieret, de qua nos postea); *donec cognati hominis cùm causa M. Livii Macati, cum causa eius ageretur, STANTEM coëgit in senatu SENTENTIAM DICERE.*

---

nem consulem, quem et priores censores legerant, legerunt. Tum vero XXXVIII 28. *Censores Romae T. Quintus Flamininus, et M. Claudius Marcellus senatum perlegerunt. Princeps in senatu tertium lectus P. Scipio Africanus.*

Nonnunquam vero ita quis alteri assentiebatur, ut tamen et de suo aliud adderet, illa tunc usus formula, quam profert Cicero XIII Philipp. sub finem: *Quae cum ita sint, de mandatis literisque M. Lepidi viri clarissimi Servilio ASSENTIOR. ET HOC AMPLIVS CENSEO*, etc.

Si quis una sententia plures res complecteretur, quae nec probandae, nec reiiciendae omnes videbantur, tunc postulari ab aliis solebat, ut *sententia divideretur*, scilicet ut quae coniunctim proposita fuerant, separatim singula producerentur. Ita apud Tullium I Fam. 2. *Postulatum est, ut Bibuli SENTENTIA DIVIDERETVR. Quatenus de religione dicebat . . . Bibulo assensum est: de tribus legatis, frequentes ierunt in alia omnia.*

Aliquando autem senator, ubi copia dicendae sententiae facta esset, novum aliquod, quod e republica foret, in medium afferebat, id quod *egredi relationem* dictum fuit; simul autem postulabat, ut de eo a consule referretur (29). Hinc non raro auditae in senatu voces illae: CONSVL REFER AD SENATVM. Exhibet hanc formulam Cicer. I in Catil. 8. *REFER, inquis, AD SENATVM. Id enim postulas.*

Iam vero qui senatus consulto, quominus fieret, moram afferre vellet, solebat, sententiam

---

(29) Tiberius apud Tacitum Annal. II. *Nec sane*, inquit, *ideo a maioribus concessum est EGREDI aliquando RELATIONEM, et quod in commune conducat, loco sententiae proferre, ut privata negotia, res familiares nostras heic augeamus.* Idem porro Tacitus Annal. XIII scriptum reliquit: *Licere patribus, quoties ius dicendae sententiae accepissent, quae vellent expromere, RELATIONEMque in ea POSTVLARE.*

rogatus, *dicendo diem consumere*, ut ubi nox adventasset, infecta re discederetur: quandoquidem sicut non ante ortum, ita nec post occasum solis decerni quidquam in senatu poterat; et non minus in curia, quam in foro servata semper fuit lex illa XII Tabb. quam tradit Gellius XVII 2. *SOL OCCASVS SVPREMA TEMPESTAS ESTO.* Ea de re Cicero IV ad Att. 2. *Cum*, inquit, *ad Clodium ventum est, cupiit DIEM CONSVMERE; neque ei finis est factus: sed tamen cum horas tres fere dixisset, odio et strepitu senatus coactus est aliquando perorare.* Ad hoc ipsum autem designandum pertinuere non absimilia illa: *Diem dicendo eximere, vel tollere.*

Poterat vero et alio quisque pacto senatus consultum impedire, si nimirum, quando non, quot oporteret, aderant patres, magistratui ad senatum referenti diceret. NVMERA SENATVM; siquidem sine legitimo numero per senatum quidquam decerni fas non erat. Quare Coelius ad Cic. VIII 11. scribit: *Cum de hostiis ageretur, et posset rem impedire, si ut NVMERARETVR, postularet, tacuit.* Quinam autem requisitus is numerus fuerit, non pro omnibus aetatibus aeque constat. Nam quod dicitur olim centum patres, deinde vero ducentos necesse fuisse, totum hoc non iis veterum testimoniis firmatur, ut de eo nequeas dubitare. Quod autem postremo ad quadringentos iustus eiusmodi numerus devenerit, id vero certum est ex auctoritate Dionis p. 546. A quo ibidem traditur, Augustum, cum videret senatum non semper frequentem convenire; sanxisse, ut etiam a paucioribus, quam a quadringentis, consulta fierent.

Aliam denique fuisse extrahendae rei rationem declarat Festus (voc. *Numera*), videlicet postulare, ut *SINGVLI CONSVLERENTVR.*

IV. E dictis porro sententiis selectas consul, quae potiores viderentur, sigillatim *pronuntiabat*, in easque discessionem fieri iubebat, in haec verba locutus: QVI HAEC SENTITIS, IN HANC PARTEM, QVI ALIA OMNIA, IN ILLAM ITE, QVA SENTITIS. Tum universis patribus in alterutram partem discedentibus, si quidem maior numerus in eundem cum auctore sententiae locum convenisset, enuntiante consule: HAEC PARS MAIOR VIDETVR, in eam sententiam fiebat senatus consultum; sin minus, dicebantur *ivisse frequentes in alia omnia*. Itaque aliae deinceps a consule sententiae pronuntiabantur (30). E quibus si nullam plane frequentior senatus comprobasset, res, qua de actum fuerat, vel abiiciebatur omnino, vel ad aliud tempus reiiciebatur.

Hinc interim iam quisque videt, nullum sine discessione factum esse senatus consultum. Nihilo tamen minus ea solummodo ex omnibus *facta per discessionem* dici consueverunt, ad quae, vix paucorum rogatis sententiis, ceteri discedendo consentiebant. Etenim in rebus quidem gravioris momenti singulorum perrogare sententias mos fuit; in aliis non item. (Gell. XIV 7.)

Heic vero omissum illud nolumus, ex hoc *discedendi* instituto videri dictos *Pedarios* eos, qui

---

(30) Mirifice id omne elucet in hoc Tullii loco X Fam. 12. *Eo autem die magna mihi pro tua dignitate contentio cum Servilio, qui cum gratia effecisset, ut sua sententia prima PRONVNTIARETVR, frequens cum senatus reliquit, et IN ALIA OMNIA DISCESSIT: meaeque sententiae, quae secunda PRONVNTIATA ERAT, cum frequenter assentiretur senatus, rogatu Servilii P. Titius intercessit.*

nunquam suas interrogati sententias, non alia, quam in alienas descendendi facultate fruebantur. Eorum sic meminit Cicero l. 1. Att. 19. *Est illud senatus consultum summa Pedariorum voluntate, nullius nostrorum auctoritate factum.* Hi autem fuisse creduntur, qui magistratibus functi, nondum a censoribus in senatorum album relati essent. Verum hac de re aliter alii: de quo legas licet subiectam adnotationem (31).

---

(31) Tres in id opiniones prodit Gellius III 18. Vna est, qua crederetur, *Pedarios senatores appellatos, qui sententiam in senatu non verbis dicerent, sed in aliam sententiam pedibus irent.* Quod quidem vides ad eos spectare, qui iam e numero patrum essent. Hanc autem opinionem per id Gellius ipse refellit, quod cum senatus consultum per discessionem fieret, omnes tunc sane pedibus sententiam ferrent; ut propterea universi tunc *Pedarii* dici debuissent.

Altera porro est eiusmodi, ut *Senatores pedarii* vocarentur, qui quod honoribus maioribus non dum functi essent, pedibus in senatum ventitarent; cum contra qui magistratus curules gessissent, curru, cui sella curulis imposita, adveherentur.

Tertia demum ea est, quam secuti et nos sumus; de qua ecce tibi ipsa scriptoris verba: *M. Varro... equites quosdam dicit Pedarios appellatos; videturque eos significare, qui nondum a censoribus in senatum lecti, senatores quidem non erant; sed quia honoribus populi usi quidem erant, in senatum veniebant, et sententiae ius habebant. Nam et curulibus magistratibus functi, qui nondum a censoribus in senatum lecti erant, senatores non erant. Et quia in postremis scripti erant, non rogabantur sententias; sed quas principes dixerant, in eas discedebant.*

Atque hinc idem Gellius advertit ortum habuisse formulam consularis edicti ad convocandum senatum ita facto discrimine comparatam: SENATORES, QVIBVSQVE IN SENATV SENTENTIAM DICERE LICET.

V. Plura autem erant, quae vel maximae patrum consensioni impedimento esse poterant, quominus senatus consultum perscriberetur.

Inter ea praecipuum locum obtinuit *Intercessio*: cuius facultas (praeter tribunos plebis, quorum in primis erat) ad eos omnes pertinebat, *qui* (ut ait Gellius XIV 7.) *eadem potestate, qua ii, qui senatus consultum facere vellent, maioreve essent*. Vnde lex illa apud Tullium III de Legg. 3. *NI POTESTAS PAR MAIORVE PROHIBESSIT, SENATVS CONSVLTA PERSCRIPTA SERVANTO.*

Itaque ubi intercessio obstitisset, quod a patribus decretum fuerat, id non *senatus* quidem *Consultum*, sed *Auctoritas* dicebatur. Quae sane *Auctoritas*, licet vim legis non haberet, perscribi tamen solebat, ut senatus ea de re judicium extaret. Quare Cicero I Fam. 2. *De his rebus*, inquit, *pridie, quam haec scripsi, SENATVS AVCTORITAS gravissima intercessit: cui cum Cato et Caninius INTERCESSISSENT, tamen EST PERSCRIPTA.* Inficiandum tamen non est, nonnunquam *Auctoritatis* nomine ipsum senatus consultum fuisse designatum, ut XI Fam. 7. et XV 2. et alibi pluries.

Adhaec vero senatus consulto perscribendo obstabant haec alia: locus non auspicatus, dies non senatorius, non legitimus denique numerus, quo senatus habitus esset.

VI. Quod si nihil adversaretur, tum demum senatus consultum perscribebatur. Qua in re summo studio servatum id fuit, ut non modo palam fieret, quod decrevissent patres; sed vero tum relatio, et a quonam facta, tum dies locusque, quo senatus actus, tum eorum nomina, qui scribendo adfuissent, apponerentur. Adesse autem scribendo

potissimum fi solebant, quibus prae ceteris ita decerni placuisset: qui etiam quoniam veluti testes adscribebantur propterea ipsorum nomina *senatus consulti auctoritates* dici mos fuit. Ipsius vero consulti exemplum, cuiusmodi plurima collegit Brissonius de Form. p. 183. et seqq. legi poterit apud Ciceronem VIII Fam. 8.

VII. Vnum modo adiiciendum superest, quod, ne ab instituto cursu digrederemur, huc usque distulimus; scilicet potuisse quosdam alios magistratus in uno eodemque senatu aliquid et ipsos referre, dummodo ab eo, qui senatum haberet, non prohiberentur. Ac de Praetoribus quidem exploratum id est ex Tullio, qui in Maniliana 19. de seipso praeturam tunc temporis gerente inquit: *De quo legando spero consules relaturos. Qui si dubitabunt, aut gravabuntur, ego ME profiteor RELATVRVM.* De Censoribus porro testimonium exstat Livii XXXVIII 28. quo ita proditur: *Censores Flaminius et Marcellus . . . . Campani ubi censerentur, SENATVM CONSVLVERVNT. Decretum, uti Romae censerentur.* Tribunorum vero plebis proprium fuisse, ut etiam invito eo, qui senatui praecesset, efficere id possent, liquet prae ceteris e loco Tullii X Fam. 16.

AEtate porro Imperatorum datum et Principi fuit *ius relationis*, ut nimirum posset in senatu quoties is ageretur, de re una referre: quod Augusto primum concessum narrat Dio p. 518. Sed et ampliata dein Principum potestate, invecta gradatim fuere *iura secundae, tertiae, quartae relationis*: per quae de duabus, tribus, quatuor rebus consulendi senatum eis copia facta sensim est. Itaque Capitolinus de Pertinace 5. narrat: *Primus sane omnium ea die, qua Augustus est appellatus, etiam patris patriae nomen recepit . . . . necnon*

IVS QVARTAE RELATIONIS.

Atque haec ad habendi senatus rationem spectarunt. Qui postremo, ubi omnia confecta forent, a consule dimittebatur sollemni illa formula: NIHIL VOS MORAMVR PATRES CONSCRIPTI. (Capitol. in Anton. Philos., 10.

§. II.

De Ordine Equestris.

Cum iam Romanum populum in patres plebemque distribuisset Romulus, trecentos exinde fortissimos iuvenes, scilicet denos per cuiusque curiae suffragia, e clarissimis familiis deligendos curavit: quos equo armisque ornatos, ad perpetuam domi militiaeque sui corporis custodiam sibi adiunxit; pro eo ac narrat Dionysius p. 86. Eos autem tum in tres Centurias, *Ramnensium*, *Tatiensium*, et *Lucerum* (perinde ac populi Tribus) nuncupatas dispescuit; tum vero communi universos nomine *Celeres* appellavit, sive, quod aiunt, a primi eorum ducis nomenclatura, sive, quod unice verum credimus ab ipsorum ad exsequenda munia celeritate (32). Vtramque originationem affert idem scriptor ibid.

---

(32) Nihil certe facilius fuit quam ut *Celerum* appellatio a velocitate huic equitum generi maxime propria duceretur. Itaque non secus illi *Celeres*, quam custodes corporis Regum Iuda *Cursores*, nuncupati.

Proinde eam recentiorum quorundam opinionem, qua id nomen a Græco Κέλητες (qui fuere equites, uno equo in ludis equestribus utentes) derivatur, cum vel maximi haberi per nos liceat, non tamen priori illi anteferendam censemus.

Iam porro numerum Equitum ante regnum Tarquinii Prisci ad nongentos fere devenisse, ita ut singulae centuriae trecenos continerent, patet ex Livii verbis I 36. Vbi cum ille referat voluisse Tarquinium tribus a Romulo institutis centuriis alias addere, postremo subdit: *Neque tum Tarquinius de equitum centuriis quidquam mutavit, numero TANTVM ALTERVM* (alterum scilicet tantum, quantum ante fuerat) *adiecit, ut mille et octingenti equites in tribus centuriis essent.* Ergo si, duplicato per Tarquinium numero mille et octingenti equites exstiterunt, necesse est dicere nongentos antea fuisse.

Verum dein Servius Tullius, cum has ipsas centurias sub eisdem nominibus geminasset, duodecim simul alias adiecit, ut omnino ea tempestate duodeviginti evaserint. (Liv. I. 43.).

Sed iam alterius huius in republica Ordinis quaenam propria fuerint, inspiciamus.

In Eqvitvm Lectionibvs Qvid Spectaretvr.

Post regias illas equitum lectiones, censorum fuit alios identidem, pro eo ac res se daret, eum in ordinem cooptare. Qua quidem in re, ut aliquis eo loco dignus haberetur, tria spectari oportuit, *AEtatem*, *Genus*, *Censum*.

1. Quod ad *AEtatem* attinet, moris id fuit, ut non fere nisi iuniores in equites referrentur. Ex quo profectum est, ut toti ipsi equestri ordini *iuventutis* nomen quodammodo adhaeserit. Ita universus is ordo *equestris ordinis iuventus* dicitur Valerio Max. II 2. 9. Atque hinc *Princeps iuventutis* appellari consuevit, qui inter equites maxime excelleret, aut etiam fortasse qui (perinde ac

de principe senatus supra diximus) primus a censore equites recensente recitaretur; uti opinatur Graevius ad locum Tullii pro Sull. 12. qui sane locus sic habet: *Cum princeps, cum auctor, cum signifer esset iuventutis.* Eandem appellationem reperies apud eundem III Fam. 11.

Iam vero quoniam huc evasimus, adiicere non pigebit, Imperatorum aevo hunc titulum ad successores imperii designandos fuisse traductum, more ab Augusto primum iuvecto: de quo sic Tacitus II Annal. *Caium ac Lucium* (Agrippae filios) *in familiam Caesarum induxerat: necdum posita puerili praetexta, PRINCIPES IVVENTVTIS appellari ... cupiverat.* Quod tamen perfecisse tandem, ostendit inscriptio, quam ex veteribus nummis affert in eum locum Lipsius hoc pacto: C. L. Caesares Avgvsti F. Cos. Des. Prinč. Ivvent.

2. *Generis* autem ea ad equestrem gradum habita fuit ratio, ut patriciis quidem ac plebeiis promiscue illuc pateret aditus, libertinis non item. Hinc popularis illa de liberto Mena, inter equites per Augustum allecto, querela apud Flaccum Epod. 4.

Sectus flagellis hic Triumviralibus
Praeconis ad fastidium,
Arat Falerni mille Fundi iugera,
Et Appiam mannis terit:
Sedilibusque magnus in primis eques,
Othone contempto, sedet.

3. Censvs, quo quis equestrem locum assequi posset, debuit esse priscis temporibus (quod patet ex Liviana narratione I 43.) centenorum millia aeris: at florente republica: CCCC H.S. Qua de causa Horatius I ep. 1. cecinit:

Si quadringentis sex, septem millia desunt,

Est animus tibi, sunt mores, est lingua, fidesque,
Plebs eris.

EQVITVM INSIGNIA.

Suis et Equites ornati fuere insignibus, per quae tum a Senatu, tum a Plebe facile distinguerentur. Erant haec autem EQVVS PVBLICVS, ANNVLVS AVREVS, et ANGVSTVS CLAVVS.

1. EQVVS PVBLICVS dictus is fuit, quo (pecunia (33) scilicet ad emendum ex aerario data) a censore donabatur, quicunque ad equestrem gradum extolleretur; ita ut unum idemque esset, publico equo donari, atque in equitum ordinem cooptari. Quam ob rem non raro in Inscriptionibus *Equus publicus* pro dignitate equestri usurpatus occurrit, et eo quidem locutionis genere, ut dicatur e. g. VIRLIVS EQVO PVBLICO, uti legitur ex vetere marmore apud Sponium Misc. Erud. Antiq. VII. (34).

Dabatur autem ille ad usum belli, quippe cum equitum esset equo merere. Itaque raro exemplo

---

(33) Nempe non equus ipse sed pecunia, qua comparari posset de publico tribui consuevit. Noscitur id ex Livio I 43. ubi de novis equitibus a Servio scriptis inquit: *Ad quos emendos dona millia aeris ex publico data.*

Cum quo quidem scriptore consentit, quod ad rem attinet; Varro VII L. L. 38. nisi quod de numero discrepat. Ait enim: *Equum publicum mille assarium esse.* Quare haud perperam Lipsius I de Mil. Rom. 5. opinatur, notam numeri X quae exciderit, huc esse immittendam, ut sit X *mille assarium.*

(34) Ita apud Reinesium Class. I n. 297.

L. FOVRIVS L. F. LEM
SECVNDINVS
VI VIR. QVINQ
IN MVNICIP. EQVO
PVBLIC. L. D. D. D

apud Livium V. 7. postquam accepta a Romano calamitas ad Veios est: *Repente quibus census equester erat, EQVI PVBLICI NON ERANT ASSIGNATI* (quibus scilicet non datus adhuc inter equites locus fuerat . . . . . *senatum adeant, factaque dicendi potestate, equis se suis stipendia facturos promittunt.*

Quoniam igitur eiusmodi equi publici assignatio militandi simul onus afferebat, hinc facile est nosse, cur nonnunquam beneficii ergo assignatus ille non sit. Facit huc in primis testimonium Livii

---

Eodem plane pacto a Tullio VI Philipp. 5. dicitur: *Sed haec una statua. Altera ab equitibus Romanis equo publico.* Vbi postremae hae duae voces additae idcirco sunt, ut equestris ordinis insigne emineret, ac ne quis forte dictum illud de iis suspicaretur, qui extra eum ordinem equo aliquando merebant suo. In quibus loquendi formulis intelligatur necesse est *praeditus*, *ornatus*, aut quid simile; non secus ac cum dicitur, *vir consulari potestate, maxima auctoritate, summo ingenio,* et sexcenta id genus alia.

Idem iudicium esto cum ita insigne illud equestre apponitur, ut sermo is sit: M. METTIO EQVO PVBLICO prout apud Reinesium Class. VIII n. 33. et saepe eadem ratione alias, ubi totum optime constabit, intellecta voce *ornato*, aliave eiusmodi, ut sit METTIO ornato EQVO PVBLICO. Quare opus non est credere, quod nonnullis visum est, illud EQVO PVBLICO idem μεγαλουμικῶς fuisse, ac *Equiti.*

Ceterum fuisse id aliquando factum, ut *Equus publicus* pro equite poneretur, fateri quemque cogat altera ab eodem Reinesio allata Inscriptio Class. XIII n. 65. modo omni mendi suspicione careat. Sic enim habet:

C. GADISIVS Q. F
VETVR. CALENVS
EQ. PVBLICVS
FECIT. SIBI. ET. MATRI. PIISSIMAE
EX. TESTAM. F. I

XXXIX 19. ita narrantis *S. C. factum est* . . . *ut consul cum tribunis plebis ageret, ut ad plebem primo quoque tempore ferrent, ut P. AEbutio emerita stipendia essent, ne invitus militaret, NEVE CENSOR EI EQVVM PVBLICVM ASSIGNARET*; ut is nimirum non modo pedestri, quae multo gravior, verum etiam equestri militia immunis fieret.

2. Alterum ordinis equestris insigne fuit ANNVLVS AVREVS; qui maxime inter equites, plebemque discrimen fecit. De qua re Plinius XXXIII 1. *Annuli*, inquit *distinxere alterum ordinem a plebe* . . . . *sicut tunica* (scil. laticlavia) *ab annulis* (i. e. Equitibus) *senatum tantum*.

Ceterum non ita hoc ornamenti genus equestri dignitati adhaesit, ut non cum aliorum quoque ordinum hominibus communicatum fuerit. Primum enim ius eo utendi senatoribus universis fuisse diserte asserit Dio p. 385. Deinde impartitum illud multis de plebe pro republica bene gesta, idem fidem fuisse testatur Cicero III Verr. 8. Denique Imperatorum aetate et aliquando militibus vulgo concessum; et novis libertis, tanquam sollemne aliquod inter cetera manumissionis insigne, Principum indulgentia condonatum, exploratissimâ res est. (Herod. III 8. Tertull. de Resurr. 57.)

3. Vt vero senatorum Latus clavus, ita Equitum proprius ANGVSTVS CLAVVS fuit, non ob aliud, nisi ob tenuitatem; ab illo diversus: ex quo ipsi *Angusticlavii* nuncupati.

EQVITVM MVNIA.

Cum potissimum ad militiam esset equester ordo comparatus, tamen alias quoque partes, easque non ultimas, in republica egit. Vnde est, ut tria numerentur Romanorum equitum munia. *Bella obire, Vectigalia conducere*, et *Iudicia exercere*.

I. Horum quidem primum stabili illi ratione ab ipso suo exordio functi sunt, cum qui ad bella opus esset equitatus Romanus, ex eorum semper numero conscriptus fuerit.

Verum ab hoc officio, per quod equo stipendia facerent, Imperatorum aevo sensim destitisse videntur; eo tunc onere in Italicos et provinciales, uti creditur, inclinato. Itaque qui id temporis in equestrem ordinem legerentur, non ii quidem ad militiae, sed ad honoris tantummodo gradum vocabantur. Hinc est, ut Plinius XXXIII 1. de sua aetate scripserit: *Quod ante militares equi nomen dederant, hoc nunc pecuniae iudices tribuunt*; quippe cum iam unus equestris census homines in eum ordinem induceret. Et licet etiam tum multis equus publicus donaretur, is tamen non, ut ille ait, *militaris* erat, sed solum veluti honorarius. Itaque Ovidius, quanquam publico equo insignitus, nunquam se tamen militiam attigisse profitetur IV Trist. 1. cum canit:

Aspera militiae iuvenis certamina fugi,
Nec nisi lusura movimus arma manu.

II. Equitum porro fuit, Vectigalia populi Romani conducere. Quam ob rem, quoniam *publica redimebant*, dicti *Publicani* fuerunt. Sed vero etiam *Mancipes* appellati ea de causa, quam prodit Festus: *Manceps dicitur, qui quid a populo emit, conducitve; quia manu sublata significat se auctorem emptionis esse.* Denique ex ipsis vectigalium nominibus, quae iam videbimus, alias (mox addendas) sunt appellationes mutuati.

Tria quidem fuere vectigalium genera *Decuma*, *Portorium*, et *Scriptura*: quorum rationem sic paucis habe.

Dicta *Decuma* fuit decima pars frugum, quae ex agris vectigalibus exigebatur: qui ipsi agri ap-

pellati propterea *Decumani.* Non solum autem frugum, sed olei etiam, vinique fuisse partem decimam Romano persolutam credi queat, cum id Tullius III Verr. 7. de Sicilia aperte affirmet. Verum obstare videtur Appianus, qui Bell. Civ. I e plantariis aut arboretis *Quintam* Romanum populum recepisse testatur. Quos in diversa abeuntes ut conciliet Lipsius II de Magnit. Rom. 1. eam ingreditur viam, ut opinetur, aut verba Appiani de silvis caeduis solummodo posse intelligi; aut vero putari Siculos, de quibus loquitur Cicero, benignius habitos, ut non reliquorum instar Quintas, sed Decumas tantum ex aboretis penderent.

Quod vero *Portorium* vocatum, id vectigalis genus e rerum invectione, et exportatione redibat. Eius autem magnitudinem (de qua certum nihil scriptores prodiderunt) variam pro regionum diversitate exstitisse credibile omnino est. In portu quidem Syracusano *Vicesimam* (i. e. quinque in centena) exigi consuevisse portorii nomine, discimus a Tullio II Verr. 75.

Scriptura e pascuis proveniebat; cui ex eo factum nomen, quod pecorum illuc immittendorum numerum, quem pastor profitebatur, suas in tabulas publicanus referret, ut inde quid pro eo solvi oporteret, ratio cum pastore ipso iniretur. Hinc quoque eiusmodi terrae tractus, quo greges pastum pretio inducerentur, *agros scripturarios* nuncupari mos fuit.

Iam pro triplici hoc vectigalium genere vocati praeterea publicani sunt, *Decumani*, *Portitores*, et *Scripturarii.*

Pro tota hac autem vectigali re diversae societates conflabantur, quarum unaquaeque alicuius provinciae vectigalia conduceret. Itaque saepe in

veterum monumentis *Societates*, et *Socii* hac notione occurrunt, quibus etiam appellationes e suis desumptae provinciis adiungi solebant. Huius omnino generis sunt *Socii Bithyniae*, et *Societas Bithynica*, de quibus agit Cicero XIII Fam. 9.

Vnicuique vero societati praeerat unus aliquis ex ipsis sociis, qui dictus *Magister societatis*. (Cic. pro Planc. 13.) Is autem, penes quem summa esse debuit rationum, alium habebat sui muneris vicarium, *pro Magistro* appellatum, qui praesens loca provinciae inviseret obiretque. De hoc Cicero XI ad Att. 10. *P. Terentius meus necessarius operas in portu, et scriptura Asiae Pro Magistro dedit.* Et. II Verr. 70. *In scriptura Siciliae Pro Magistro est quidam L. Carpinatius.* Ex quo et illud fortasse erui queat, non unum semper omnibus vectigalibus, sed nonnunquam alium alii, prout rationes postularent, Magistri vice praepositum fuisse.

III. Ad equitum munia hactenus expensa accessit etiam iudicandi potestas, videlicet per legem Sempronianı, latam a C. Sempronio Graccho tribuno plebis. Qua quidem sancitum est, ut iudices, qui ad id temporis e senatorio ordine lecti fuerant, iam inde ex equestri deligerentur; uti refert Appianus Bell. Civ. I.

Haec res quidem variavit postea, at ita, ut non exciderent equites iure suo. Nam vel admissi rursus ad iudicia fuere patres, quod factum lege Servilia; vel simul in illorum partem vocata plebs lege Plautia: at utraque sane lex loco suo retinuit equites. Et cum lex Cornelia demum omnem eis iudicandi copiam ademisset, paullo tamen post Aurelia reddidit.

EQVITVM TRANSVECTIO.

Inter ea, quae ad Equites spectaverunt, singulare quiddam habuit *Transvectio*: cuius primam originem aperit Livius IX 46. his verbis: *Ab eodem* (Q. Fabio Rulliano) *institutum dicitur, ut equites idibus Quintilibus TRANSVEHERENTVR.* Qualis autem ea fuerit, docet Dionysius p. 35. Nimirum Idibus Quintilibus illi omnes divisi in turmas, trabea induti, olea coronati, et militaria, queis forte donati a ducibus fuerant, gestantes praemia, in aequis ab aede Martis (sive Honoris, ex Aurelii Victoris relatu) extra urbem posita profecti, per aliquot loca urbis, praecipue per forum sollemni pompa in Capitolium vehebantur.

Huiusmodi autem transvectio, cum semper quaedam recensionis imago esset, singulis tamen ferme lustris exeuntibus iniustam omnino recognitionem evadebat. Tunc enim equites cum transveherentur, ubi ad censorem in sella curuli sedentem pervenissent, ex equis desilientes, eosdemque manu ducentes singuli ad eum se se sistebant, sententiam ab ipso, utpote morum iudice, pro suae vitae genere relaturi. Is autem eos pro merito quosque suo *equum* vel *traducere*, vel *vendere* iubebat: quo videlicet vel in ordine firmaret, vel inde eiiceret. Ita apud Valerium Max. IV 1. 10. censor ad quendam equitem simul et sacerdotem, qui notandus esse videbatur: *TRADVC*, inquit, *EQVVM sacerdos, et lucrifac censoriam notam.* At apud Livium XXXIX. 37. *Claudius Livium EQVVM VENDERE iussit.* Verum de hac re iterum in de Censoribus sermo habebitur.

§. III.

De Plebe.

I. Vltima pars populi *Plebs* vocata. Haec diu sic vixit, ut imo loco habita ad nullos honores, quos uni modo patricii gerebant, evecta fuerit. Dein vero, aliquo tandem magistratu obtento, ita efferri coepit, ut paullatim omnes ferme vel amplissimos in republica gradus sit assecuta.

Hinc autem profectum est, ut non modo minoribus, sed maioribus etiam magistratibus in plebeias familias invectis, *nobilitas* quoque in eas devenerit: quippe cum haec posita in *iure imaginum* esset, quibus eorum vultus, qui magistratu aliquo maiore functi fuissent, exhibebantur.

Hae quidem imagines, e cera effictae, in atriis aedium, suis quaeque loculamentis asservabantur: atque, ubi quis efferretur, educi ipsae ad cohonestandum funus solebant. Aperit rem totam Plinius XXXV 2. his verbis: *Apud maiores in atriis . . . . expressi cera vultus singulis disponebantur armariis; ut essent imagines, quae comitarentur gentilitia funera.* Et quoniam eae non modo quo plures, sed etiam quo vetustiores forent, ampliorem familiae nobilitatem indicabant; inde fuit, ut ad splendoris dignitatisque iactationem *fumosae* appellarentur.

Quicunque igitur plebeii generis eo imaginum, maiores suos repraesentantium iure fruerentur, *nobiles* habebantur: cum reliqui essent *ignobiles*. At qui, nullo maiorum ad honores elato, ipse e sua familia primus ad magistratum curulem aliquem ascendisset, *homo novus* dicebatur: quo semet no-

mine vocat Cicero II in Rull. 1. *Me, perlongo intervallo prope memoriae temporumque nostrorum, primum HOMINEM NOVVM consulem fecistis.*

Per eiusmodi autem magistratus impartita plebi non modo nobilitas, verum etiam ea omnia fuerunt, quae iisdem inhaerentia ad patricios tantummodo antea pertinuerant, videlicet imperia, auspicia, triumphi. Cumque praeterea reseratus iam in senatum (quod supra memoravimus) aditus ei fuisset, nihil ferme maiestatis superfuit, quod non plebeiis hominibus cum patriciis commune foret.

II. Iam porro pro locis, quae incolebat, duplici dicta nomine Romana plebs fuit *Rustica*, et *Vrbana*. Atque illa quidem, quae agris sive suis, sive alienis excolendis unice intenta erat, vitae morumque honestate non parum alteri antecellere videbatur. De ea locutus Livius XXV 1. *Numerum auxit Rustico plebs, ex incultis diutino bello, infestisque agris, egestate, et metu in urbem compulsa.*

Quae vero plebs in urbe habitabat, *Vrbana* propterea nuncupata, humiliorum, ac saepe facinorosorum hominum numero auctior plerumque erat. De hac Tullius II in Rull. 26. *Nimirum,* inquit, *illud est, quod ab hoc tribuno plebis dictum est in senatu, Vrbanam plebem nimium in republica posse, exhauriendam esse.* Eandem, quippe quae in foro versari plurimum soleret, *forensem turbam* appellat Livius IX 46.

CAPVT IV.

De Comitiis.

QUicunque Romae vel totius populi, vel unius plebis ad ferendum de re quapiam suffragium conventus agebantur, COMITIA a *comeundo* sunt nuncupati. Ipsa pro varia ratione, qua populus vel curiatim, vel centuriatim, vel tributim conveniebat, triplicis fuere generis, *Curiata*, *Centuriata*, et *Tributa*.

Vbi autem occurrerint *Comitia consularia*, *censoria*, *praetoria*, *aedilitia*, *quaestoria*, *tribunitia*, cave credas alia haec ab illis fuisse; siquidem eiusmodi appellationes e magistratibus per ea mandari solitis emanarunt. Eodem pacto *Comitia calata* non peculiare aliquod genus constituerunt, sed eadem fuere ac Curiata, et Centuriata, eo scilicet dicta nomine, ubi certis quibusdam de causis haberentur; quod totum clarum fit e verbis Gellii XV 27. quae per nos infra opportuniore loco proferentur.

Rerum porro, quae geri in Comitiis solebant, haec summa fuit: Magistratuum, et quorundam Sacerdotum creatio; Legum latio; et Iudiciorum administratio.

Ad haec autem peragenda vario comitia tempore haberi oportuit. Itaque si de legibus iudiciisve ageretur, tunc illa indicebantur, cum res postulasset. Si vero de sacerdote deligendo, cum quis in demortui locum esset subrogandus. At designandis magistratibus certum fuit constitutum

tempus, nimirum, ex novissimo instituto, sub finem fere mensis Iulii, initiumve Augusti; cum multifariam id antea variasset (35).

Verum cuiuslibet tandem generis res esset, agi per comitia non poterat, nisi *diebus comitialibus*, iis scilicet, quibus cum populo agere liceret (Macrob. I 16.)

§. I.

De Comitiis Curiatis.

Comitiorum omnium antiquissima Curiata fuerunt, in ipso rei Romanae exordio a Romulo in-

---

(35) Non eandem semper ineundis magistratibus praefinitam diem fuisse novimus. Etenim olim quidem Kalendas Sextiles ad id destinatas declarat Livius III 6. *Kalendis Sextilibus* inquit, *ut tunc principium anni agebatur, consulatum ineunt.* Deinde vero Idus Maias huic rei mancipatas addocet Idem III 36, affirmate scribens: *Idus tum Maiae sollemnes ineundis magistratibus erant.* In earum posthac locum Idus Martiae successere; quod alterius belli Punici aetate obtinuit, ut perspicere licet apud Eundem III 30. et VI 1. Prout igitur res ea variavit, tempus etiam comitiorum (quae aliquanto ante ineundorum magistratuum diem haberi debebant) pluries immutari necesse fuit. At ubi tandem eo ventum est, ut novis magistratibus (exceptis tamen censoribus, et tribunis, de quibus loco suo) prima obeundi muneris dies Kalendae essent Ianuariae, tum vero comitia designandorum magistratuum extremo circiter Iulio, primoque Augusto (quod semper exinde tenuit) addicta fuerunt. Quae si aliquando dilata occurrant, huius rei causam, intercessiones, obnuntiationes, aut temporum difficultates, fuisse scito.

stituta. Ea populus in curias (de quibus supra p. 28. et seqq.) distributus agebat. In ipsis autem confici prisco illo aevo omnia debuerunt, quaecumque Romulus populi suffragiis commiserat; videlicet creari magistratus, ferri leges, ac de bello, quoties rex ita voluisset, deliberari; prout patet ex Dionysio p. 87.

Postquam vero Centuriata, sexti Romanorum regis Servii consilio, in lucem prodierunt, quibus gravioris momenti negotia concrederentur, debilitari statim priora illa occeperunt. Ita qui reipublicae initio primi omnium creati sunt consules, eos non curiatis quidem, sed centuriatis comitiis factos testatur idem Dionysius p. 276.

Obtinebant tamen etiam, tum Curiata vim eiusmodi, quae non omnino minima videretur. Quod liquet tum e legibus, quas non levissimas his comitiis post exactos reges sancitas esse declarat Idem p. 275. et 281. tum vero ex eo, quod per eadem magistratus plebeii crearentur.

At ubi demum A. V. CCLXIII opera tribunorum plebis Tributa invecta sunt (quod legitur apud Dionys. p. 463. et 465.) multo etiam magis illa retro cesserunt; praesertim vero cum anno CCLXXX lege Publilia (de qua Livius II 56.) constitutum fuit, ut magistratuum plebeiorum creatio tributis comitiis addiceretur.

Itaque post id temporis his modo de causis haberi Curiata solebant, vel ut quaedam non magnae gravitatis leges ferrentur; quales erant *de Imperio magistratibus dando* ac *de Arrogationibus*; vel ut *sacrorum Detestationes*, et *Testamenta* fierent; vel denique ut *Flamines*, et *Curio maximus* crearentur. De quibus iam singulis pauca attexemus.

LEGES CVRIATAE
DE IMPERIO,
ET DE ARROGATIONIBVS.

I. Harum legum primum genus, quod erat de Imperio, ad magistratus pertinuit: qui scilicet omnes tum maiores (praeter unos censores) tum minores, postquam suis comitiis creati fuerant, ius deinde atque imperium per legem curiatam assequebantur. Huc omnino spectat, quod narrat Livius IX. 38. *Ei* (Papirio, qui paullo ante dictus dictator fuerat) *LEGEM CVRIATAM DE IMPERIO ferenti triste omen diem diffidit.* Eundem porro morem, morisque simul caussam declarant verba Tullii II in Rull. 11. *Maiores de singulis magistratibus bis vos sententiam ferre voluerunt . . . . ut esset reprehendendi potestas, si populum beneficii sui poeniteret.*

Hoc autem ipsum posterioris aevi consuetudine confirmari maxime videtur, qua, cum immutata res esset, iam non ipsae quidem curiae, at earum tamen triginta lictores ad quandam usurpationem vetustatis pro hac eadem curiata lege ferenda suffragium inibant; uti videre licet ibid. 12.

Censorum tantummodo, quod paullo ante indicavimus, diversa ab aliis magistratibus ratio fuit; quippe cum eis ob singularem quandam dignitatem suam non curiata, sed centuriata lege ius et potestas impertiretur. Ad id pertinet locus Tullii ead. orat. 11. *Cum centuriata lex censoribus ferebatur, cum curiata ceteris patriciis magistratibus, tum iterum de eisdem iudicabatur.*

De hac igitur re tota, quae ingentes inter Sigonium, et Gruchium controversias excitavit, ita, si sapis, uti explicatum est, fac tibi persuadeas.

II. Leges vero de Arrogationibus eo spectabant, ut iubentibus curiis arrogari quis posset. At quaenam arrogationum ratio fuerit, sic paucis declarat Gellius V 19. *Arrogantur ii, qui cum sui iuris sint, in alienam se se potestatem tradunt; eiusque rei ipsi auctores fiunt.* Vbi quod postremo subditur, ipsos, qui arrogarentur, *auctores factos*: id vero manifestum faciunt dicta Tullii pro Dom. 29. quae tum rem, tum rei ipsius causam aperiunt. *Credo enim*, inquit, *quanquam in illa adoptione* (i. e. arrogatione) *legitime factum est nihil, tamen te esse interrogatum, AVCTORNE ESSES, VT IN TE P. FONTEIVS VITAE NECISQVE POTESTATEM HABERET, VT IN FILIVM. Quaero, si aut negasses, aut tacuisses, si tamen id XXX Curiae iussissent, num id iussum esset ratum? certe non. Quid ita? quia ius a maioribus nostris . . . ita comparatum est, ut civis R. libertatem nemo posset invitus amittere.*

Iam e re heic erit advertere, ab eiusmodi arrogationis genere longe aliam fuisse *adoptionem* stricte acceptam; licet saepe haec vocabula promiscue fuerint a scriptoribus usurpata. Nimirum *adoptabantur* ii, qui non sui quidem iuris, sed in parentis potestate erant: idque non ad populum fiebat; sed apud eum, *apud quem*, ut inquit Gellius ibid. *legis actio erat*, videlicet praetorem.

SACRORVM DETESTATIONES, ET TESTAMENTA IN CVRIATIS FACTA.

I. *Detestatio* ex Vlpiano (l. 40. D. de verb. signific.) fuit *denunciatio facta cum testatione*, i. e. coram testibus.

Detestationes autem sacrorum etsi non liquido

pateant, longe tamen satius, quam quidvis aliud, videntur fuisse denuntiationes factae populo earum rerum, quas consecrare quis vellet. Etenim lege Papiria a Q. Papirio tribuno plebis lata cautum fuerat, ne aedes, terra, ara iniussu plebis consecrarentur. De quare en Tullii verba pro Dom. 49. *Video esse legem veterem tribunitiam, quae vetat iniussu plebis aedes, terram, aram consecrare.* Non immerito igitur credideris, detestationes, de quibus agitur ad id esse referendas, ut enuntiatis apud populum, quae consecrari placeret, suffragia dein per eum in rem propositam ferrentur (36).

II. Adhaec curiatis ipsis testamenta olim fieri solebant; et quidem, prout necesse est credere, per modum legis, ut videlicet rogaretur populus (perinde ac in arrogationibus factum tradit Gellius V 14.) num vellet, iuberet, uti ille, qui instituebatur, iure legeque heres esset (37).

---

(36) Hanc sane sententiam, quam primus omnium Gruchius III de Comit. 2. protulit, Gutherius vero II de vet. iur. Pontif. 6. illustravit, non optimo fortasse iure reiecit Graevius Proleg. T. V. Antiq. Rom. qui ea repulsa maluit opinari, detestationes sacrorum fuisse denuntiationes, factas heredi, aut legatario, eorum sacrorum, quae hereditatem legatumve consectarentur, quaeque propterea suscipienda ei forent, si hereditatem adire, aut accipere legatum vellet. Nam praeterquam quod intellectu facile non est, quid comitiis ad eam rem necesse fuerit, aut quidnam populi suffragia in eo denuntiationis genere decernere debuerint; nihil porro ex antiquitate paret, unde eiusmodi coniectura roboretur.

(37) Hoc quidem testamentorum genus, quod *Calatis comitiis* dictum, unum fuit e trium illorum Romano in more positorum numero, quorum mentionem fecit Gellius XV 27.

Atque huius quidem generis curiata comitia, quibus testamenta, aut etiam detestationes sacrorum fiebant, necnon porro quibus Flamines creabantur, peculiari nomine *Calata* dicta sunt. Itaque apud Gellium XV 27. legitur: *CALATA comitia esse, quae pro collegio pontificum* (i. e. eius collegii causa) *habentur, aut Regis sacrorum, aut Flaminum inaugurandorum causa. Eorum autem alia esse Curiata, alia Centuriata. Curiata per lictorem curiatim CALARI, id est convocari; Centuriata per cornicinem. Iisdem comitiis, quae Calata appellari diximus, et sacrorum Detestatio, et Testamenta fieri solebant.*

Iam de Flaminibus quaecumque prodi debeant, in eum locum reiicimus, ubi de Sacerdotibus agemus. De curione autem maximo, curiatis ipsis creato, nihil habemus illis addere, quae in medium allata ante fuerunt p. 31.

Alterius porro generis testamenta *In procinctu* appellata sunt: etenim militum propria fuerunt, qui iam ad praelium accincti, tribus, aut quatuor audientibus, heredes nominabant. Plutarch. in Coriol.

Tertiae denique rationis testamenta *Per aes et libram* nuncupata. Fiebant enim per imaginariam venditionem, hoc pacto: Praesentibus quinque testibus civibus Romanis, et libripende, hereditatem testator imaginario emptori (qui *familiae emptor* vocatus) mancipabat; a quo vicissim nummum, tanquam rei pretium, accipiebat; per quod iam bona sua vivens alienasse videretur. Huic autem mancipationi adnexa praeterea erat nuncupatio, qua testator tabulas testamenti tenens, in hanc formulam loquebatur: HAEC VTI HIS TABVLIS, CERISVE SCRIPTA SVNT, ITA DO, ITA LEGO, ITA TESTOR, ITAQVE VOS, QVIRITES, TESTIMONIVM PRAEBITOTE.

CETERA
AD CVRIATORVM RATIONEM
SPECTANTIA.

I. Quod reliquum de curiatis est, animadvertere primum omnium decet, huiuscemodi comitia auspicato haberi consuevisse. Hinc apud Livium IX 39. *Dictator postero die, AVSPICIIS repetitis, pertulit legem*; nempe curiatam de imperio, ut e paullo ante ibi dictis apparet.

Eam ob rem habenda ea comitia a magistratibus patriciis erant; quandoquidem magistratus plebeii auspicia non habebant. Quod autem nonnulli opinati sunt, ubi de Flaminum creatione ageretur, Pontificem curiatis praefuisse, nullo id satis firmo nititur fundamento.

II. Viguit praeterea de curiatis (quemadmodum et de centuriatis) ea olim lex, ut quod populus iussisset, ita ratum foret, si inde patres auctores fierent. Id sibi volunt haec Tullii dicta pro Planc. 3. *Tum magistratum non gerebat is, qui ceperat, si patres auctores non erant facti.* Verum postea obtinuit, ut patrum auctoritas comitia non subsequeretur, sed praecederet; et quod populus iussurus esset, antea per senatum comprobaretur. Quod ita declarat Livius I 17. *Prius, quam populus suffragium ineat, in incertum comitiorum eventum patres auctores fiunt.* Vide etiam Tullium ibid.

III. Locus his comitiis agendis Comitium fuit, de quo satis diximus p. 15.

IV. Ad ea autem ii modo, qui in curias adscripti erant, poterant convenire. Quod vero sedecim curiae (numerus altero maior) iussissent, id pro statuto habebatur.

§. II.

De Comitiis Centuriatis.

Haec omnium maxima comitia, in quae populus per centurias laturus suffragia veniebat, originem a Servio Tullio duxerunt. Is enim, instituto censu, ex quo singulorum civium facultates in tabulas relatae, perspectae sibi forent; deinde universam civitatem pro opum ratione in sex Classes, unamquamque autem classem in certum Centuriarum numerum dispescuit: quod jam primo declarabimus.

CLASSIVM, CENTVRIARVMQVE DISTRIBVTIO PER SERVIVM FACTA.

Ita quidem sextus rei Romanae dominus populum in Classes, ac Canturias distribuit, ut in prima classe ditissimi quique censerentur, quibus scilicet res esset non minor centum minis (38); iique in LXXX centurias divisi, nimirum quadraginta juniorum ad bella foris gerenda comparatorum, et totidem seniorum ad urbis praesidium. Quibus deinde additae XVIII equitum centuriae ut omnino fuerint XCVIII. Atque hi quidem universi, ex testimonio Gellii VII 13. *Classici* vocati sunt: cum alii in ceteris classibus adnumerati, *Infra classem* dicerentur.

In alteram porro classem adscripti sunt, quorum

---

(38) Mina, ad nostrae pecuniae rationem, decem scutatis valuit: quod, quando res feret, enucleabitur.

census non esset infra quinque et septuaginta minas; eo demque aetatis discrimine (quod et in reliquis omnibus classibus servatum fuit) in XX centurias distributi. Ad has autem adjectis postea duabus opificum, exstitere universae XXII.

Tertia eorum fuit, a quibus quinquaginta minae possiderentur: constitit autem e centuriis XX.

Quartae classis census fuere quinque et viginti (39) minae; centuriae XX. At mox, adjectis duabus tubicinum et buccinatorum centuriis, factae sunt XXII.

In quintam classem coniecti, qui minas duode-

---

(39) Dionysius, a quo totam hanc de classium discrimine narrationem mutuati sumus, de quartae classis censu ita p. 222. loquitur, quasi is ad viginti minas usque descenderit. Inquit enim, quibus res quinque millibus drachmarum, idest quinquaginta minis, minor esset *ἄχρι καὶ εἴκοσι μνῶν usque ad viginti minas*, eos quartae classi fuisse adnumeratos. Verum ei loco mendum subesse, et non ἄχρι εἴκοσι, sed ἄχρι εἴκοσι, καὶ πέντε legendum omnino esse res per se clamat. Etenim mox Idem, ubi de quinta classe verba facit, inquit, in ipsam coniectos fuisse eos, *οἷς ἐντὸς εἴκοσι καὶ πέντε μνῶν ἄχρι δώδεκα καὶ ἡμίσεως μνῶν ὁ βίος ἦν: quibus intra viginti, et quinque minas* (censum scilicet superioris classis) *usque ad duodecim minas cum dimidia, facultates erant.* Ex quo certe perspicis, quid et priore illo loco, iam depravato, diligens historiographus conscripserit. Et sane ita ipsa aequabilitatis ratio flagitabat: nam cum a centum principis classis minis altera ad quinque et septuaginta descendisset, tum ab his tertia ad quinquaginta, quarta plane ad quinque et viginti deveniret oportuit. Postremo Livius I 43. qui de classium censu usque ad quintam cum Dionysio mirifice consentit, non aliud, quam quinque et viginti millia aeris, idem ac quinque et viginti minas, quartae classi assignat.

cim cum dimidia haberent: ex iisque conflatae centuriae XXX.

E reliquis omnibus, nec is certe exigui numeri, quibus non is census foret, una confecta classis, una centuria; eaque tum militia, tum tributo immunis.

Ita rem omnem hanc, aliquanto a Livio diversius, narrat Dionysius p. 221. et seqq. Qui insuper attexit arma, quibus unaquaeque classis praeter ultimam, fuit ad usum belli instructa. Verum haec, quae huc minus attinent, si cui nosse curae sit, nae is adire poterit Livium I 43.

Hanc autem Servianam distributionem id assecutam esse, ut et onera in locupletes inclinarentur, et singularis simul eis haberetur honos, advertit idem Livius ibid. Etenim cum ex eo iam *belli pacisque munia*, ut ait, *non viritim, ut ante, sed pro habitu pecuniarum fierent*; tum porro *non viritim suffragium eadem vi, eodemque iure promiscue omnibus datum est; sed gradus facti, ut neque exclusus quisquam suffragio videretur, et vis omnis penes primores civitatis esset. Equites enim vocabantur primi; LXXX inde primae classis centuriae primum peditum vocabantur. Ibi si variaret, quod raro incidebat, ut secundae classis vocarentur: nec fere unquam infra ita descenderent, ut ad infimos pervenirent.*

Atque per haec certe verba vides iam adumbratum ordinem, quo primitus in centuriatis comitiis suffragia ferebantur. Sed de universo hoc genere expressius fusiusque infra agetur.

CLASSIVM, ET CENTVRIARVM
POSTERIOR RATIO.

Non eodem semper habitu, quo a Servio esse coeperant, classes centuriaeque constiterunt. Etenim, postquam Tribus quinque et triginta factae sunt, multo, quam ante, aliter res habuit.

Primum itaque centuriae, quae antea CXCIII fuerant, iam duplo auctae, CCCLXXXVI evaserunt. Qua de caussa Livius I 43. multo habito prius sermone de centuriarum a Servio institutarum numero ac ratione, tum statim subdidit: *Nec mirari oportet, hunc ordinem, qui nunc est, post expletas quinque et triginta Tribus DVPLICATO earum (centuriarum) NVMERO, centuriis iuniorum seniorumque ad institutam ab Servio Tullio summam non convenire.*

Eaedem porro centuriae novo dispositionis genere ita per ipsas XXXV tribus distributae sunt, ut undenae tribum conficerent. Hinc est, ut Cicero pro Planc. 20. centuriam *partem tribus* appellet. Ob id ipsum Livius loco, quem modo laudavimus, ubi diversa prioris, ac sequioris aevi ad centurias spectantia instituta attingit, de antiquis tribubus haec addit: *Neque hae tribus ad centuriarum distributionem numerumque quidquam pertinuere.* Quibus satis clare indicavit, posteriore aetate centurias ad tribus (et quidem ut partes ad totum) pertinuisse. Id autem quo pacto factum sit, pro eo ac viri docti scitissime excogitarunt, iam paucis accipe.

Primum quidem omnes classes (ultima tantum excepta) primaevo immutato numero in septuagenas peditum, qua seniorum, qua iuniorum, centurias compositae sunt. Prior autem adiunctas

praeterea habuit quinque et triginta equitum centurias. Quae sane universae centuriae si ad calculum redigantur, adiecta tamen extrema quoque illa pauperiorum, quae eadem semper mansit, tot fuisse, quot supra indicavimus, deprehendentur, videlicet CCCLXXXVI.

Deinde hoc illae modo per tribus erant dispartitae, ut in iis singulis una esset equitum centuria, ac decem peditum, e quaque scilicet classe binae, altera seniorum, iuniorum altera, quae ab eisdem tribubus nomina mutuabantur. Ita, e. g. Tribus Palatina duas primae classis centurias habebat; binas pariter reliquarum classium: ita ut praeter equitum unam, decem omnino peditum centurias comprehenderet, quae singulae *Palatinae* vel *seniorum*, vel *iuniorum* appellatae. Ita apud Livium XXVI 22. occurrit *Veturia iuniorum*, et *Veturia seniorum*: et XXVII 6. *Galeria iuniorum*. Idem porro de reliquis factum crede.

Iam vero de postrema illa saepius per nos memorata centuria fac advertas, eam non in una aliqua tribu fuisse locatam, sed per universas divisam atque distractam.

Hoc autem rerum statu, ubi comitia centuriata habenda forent, non amplius centuriae, ut olim, per classes, sed tribus in centurias quaeque suas distributae conveniebant.

Verum par iam est videre: quaenam centuriatis comitiis agerentur.

Res Centvriatis peragi solitae.

Tribus de causis centuriata habebantur, vel ut Magistratus crearentur, vel ut ferrentur Leges; vel ut Iudicium perduellionis exercceretur.

I. Magistratus quidem, quorum designatio ad haec comitia pertinuit, fuere Consules, Praetores, Censores: ac de extraordinariorum numero Decemviri legum scribendarum, et Tribuni militum consulari potestate. Iisdem autem creabatur Rex sacrorum, de cuius sacerdotio in de Sacerdotibus sermo erit.

II. Leges porro eae his comitiis ferebantur, queis maius aliquid momenti inesset. Huiusmodi habita fuit Lex Valeria (a P. Valerio Poplicola consule lata) de provocatione. De quo ipso eius legis auctore Valerius Max. X 1. *Legem*, inquit, *comitiis Centuriatis tulit, ne quis magistratus Civem Romanorum adversus provocationem verberare, aut necare vellet.*

Leges sane duodecim Tabularum creditum maxime fuit per centuriata esse perferendas. Itaque apud Livium III 34. de decem primis legum Tabulis legitur: *Centuriatis comtiis X Tabularum leges perlatae sunt.* Tum c. 37. de reliquis duabus: *Hae quoque leges Centuriatis comitiis perlatae.*

Ad eadem comitia leges de indicendo bello pertinuerunt. Exemplum in rem dat Idem IV 6. *Rogatio*, inquit, *de bello Macedonico primis comitiis ab omnibus ferme Centuriis antiquata est.*

Postremo, praeter alias, lex de Ciceronis exsulis revocatione, centuriatorum fuit. Testatur ipse orat. post Red. in Sen. 11. cum ait: *Quo die nos* (P. Lentulus cons.) *comitiis Centuriatis . . . arcessivit in patriam.*

III. Iam vero Iudicia centuriatis fieri solita, ea erant, quibus de capite ageretur, ex lege XII Tabb. quem affert Idem III de Legg. 4. *DE CAPITE CIVIS, NISI PER MAXIMVM COMITIATVM, OLLOSQVE, QVOS CENSORES*

IN PARTIBVS POPVLI LOCASSINT, NE FERVNTO.

Quanquam autem reapse has causas et olim plerumque non ipse sibi populus diiudicandas assumeret, sed Quaestoribus a se delectis mandaret; et post constitutas tandem Quaestiones perpetuas (de quibus infra in de Magistratibus §. 2.) stabili ratione Praetores administrarent: iudicium tamen Perduellionis his semper comitiis actum est; quippe cum per id criminis, quo quis hostilis in rempublicam animi insimulabatur, totius civitatis status attentari videretur. Ita ex testimonio Valerii Max. VI 5. 3. *Cum T. Gracchus, et C. Claudius ob nimis severe gestam censuram maiorem civitatis partem exasperassent, diem P. Rutilius tribunus plebis perduellionis ad populum dixit. . . Quo in Iudicio primae classis permultae centuriae Claudium aperte damnabant.* Eandem iudicii formam exhibet Livius XLIII 18.

Centvriatorvm Reliqva Institvta.

Quaecumque alia de centuriatis lustranda supersunt, extremo hoc simul loco omnia proferentur.

I. Habita centuriata, perinde ac curiata, patribus auctoribus fuisse certum est. Palam id facit apud Livium VI 41. Ap. Claudius, dum indignabundus haec effert: *Non leges auspicato ferantur: non magistratus creentur: nec centuriatis, nec curiatis comitiis patres auctores fiant.*

Haec autem auctoritas patrum ut in incertum comitiorum exitum deferretur, in morem tractu temporis inductum est, quo plane modo de curiatis factum supra diximus: ubi quidquid huc spectet perlegas licet. Itque sane significat Cicero

pro Planc. 3. (quem locum et ibi laudavimus) cum generatim pronuntiat: *Patres apud maiores nostros tenere non potuerunt, ut reprehensores essent comitiorum.*

II. AEque praeterea centuriata, ut curiata, capitatis ante auspiciis agebantur. Hinc idem pro Mur. 1. *Illo die,* inquit, *quo AVSPICATO comitiis centuriatis L. Murenam consulem renuntiavi.* Quae porro ipsa pro Mil. 16. *augusta centuriarum auspicia* appellat.

III. Hinc autem iam illud sponte sua emanat, debuisse his comitiis magistratus patricios praeesse; quippe cum, quod ad curiata adiecimus, horum tantummodo essent auspicia.

Re quidem vera Consul potissimum centuriata habebat; atque is plane e duobus, cui vel sors, vel collegae consensio dedisset. Liquet utrumque simul ex hoc Livii testimonio XXXV 20. *Consulibus ambobus Italia provincia decreta est: ita ut inter se COMPARARENT, SORTIRENTVRVE, uter comitiis eius anni praeesset.*

A praetore item haberi haec comitia potuisse, modo ne a consule vetaretur, auctor est Gellius XIII 15. Nunquam tamen id illi licuit, ubi creandi consules, aut praetores forent: id quod Cicero ad Att. IX 9. testatur his verbis: *Nos in libris habemus, non modo consules a praetore, sed ne praetores quidem creari ius esse, idque factum esse nunquam.*

Dictatoris vero, Interregis, aliorumve maiorum extra ordinem magistratuum summam, perinde ac consulum, in centuriata comitia potestatem memorare heic nihil attinet, quae per se ipsa alibi innotescet.

IV. Locus habendis centuriatis addictus Campus Martius fuit, extra urbem olim positus, Marti di-

catus: qui propterea a Tullio IV Catil. 1. *Campus consularibus auspiciis consecratus* dicitur. Huc refer illud Horatii III Od. 1.

. . . . . Hic generosior
Descendat in Campum petitor.

V. Iam interesse his comitiis poterant cives omnes Romani, etiam ex coloniis, et municipiis, quae tamen iure suffragii fruerentur. Quare Cicero post redit. ad Quir. 4. de centuriatis ad seipsum ab exsilio revocandum actis verba faciens inquit: *Nullus in eorum reditu motus municipiorum, et coloniarum factus : at me in patriam ter suis decretis Italia cuncta revocavit.*

VI. Ea in primis de causa mos fuit, cum comitia habenda essent, edictum, quo dies iis praestituta enuntiabatur, per trinundinum (i. e. per septendecim (40) dies) propositum haberi: ut, plurimis undique Romam nundinarum causa confluentibus, facile illa evulgaretur, atque ad eorum aures perveniret, quibuscunque procul urbe degentibus ad suffragia veniendi facultas esset.

---

(40) Trinundinum septendecim ipsos fuisse dies patet ex eo quod nundinae nono quoque die haberentur, ita ut inter earum binas septem omnino dies intercederent: quod diserte tradidit Dionysius p.463. et Varro de R. R. praefat. Quos tamen eosdem medios inter duas nundinas dies falso, pro septem, octo legi apud Macrobium I Saturnal. 16. recte notavit Puteanus in de Nundinis 4.

Cum igitur septeni dies intervallum exstiterint nundinarum, iam pronum cuique erit inita ratione pervidere, spatium totum ab unis ad tertias nundinas (quod ipsum trinundinum fuit) non ultra septendecim dierum terminos excurrisse. Vnde et illud perspicitur, longius a veritate abiisse, qui trinundinum ad septem, aut octo, et viginti dies protenderunt.

VII. Verum ad alia quoque trinum illud nundinum attinuit. Primum enim per totum id temporis, si quidem comitiis ferenda lex esset, publice expositam legem ipsam habere sollemne fuit, ut ab universis, antequam ad ferenda de ea suffragia veniretur, perlegi ac nosci posset: idque sane *legis promulgatio* fuit. Quod instituti genus non servatum indignans Cicero V Philipp. 3. *Vbi*, inquit, *lex Caecilia et Didia?* (quae ferendam legem trinundino propositam volebat) *Vbi PROMVLGATIO, TRINVNDINVM?* Sed et eodem illo dierum spatio mos obtinebat, ut legem suaderent dissuaderentve pro concione vel magistratus, vel privati a magistratibus ad populum producti. Hoc prorsus pacto legem de Pompeio contra Mithridatem mittendo a Manilio tribuno plebis promulgatam dissuaserunt Hortensius et Catulus homines privati, suasit Cicero praetor orat. pro Leg. Manil. Qui rursus in Consulatu legem agrariam a tribuno plebis Rullo propositam dissuadendam aggressus est.

Adhaec ubi res comitiis expedienda, iudicialis esset, toto illo trinundino declaratio criminis poenaeque ei debitae, proposita habebatur. Ita ternas accusationes, quae antea a magistratu, concione advocata, reoque citato, e rostris fieri solebant, haec deinde criminis per trinum nundinum promulgatio sequebatur, quae quarta veluti erat toto eo tempore accusatio. Id certe significasse videtur Tullius pro Dom. 17. cum inquit: *Cum tam moderata iudicia populi sint a maioribus constituta . . . . ut ter ante magistratus accuset, intermissa die, quam multam irroget, aut iudicet: QVARTA SIT ACCVSATIO TRINVM NVNDINVM, prodicta die, qua die iudicium sit futurum.* Itaque per integrum illud

trinundini spatium perpetua quaedam erat accusatio: quam postea iudicium populi ipso comitiorum die consectabatur. Hanc nos quidem huic Tulliano loco sententiam subesse arbitramur: licet eruditissimus Sigonius III de Iudiciis 12. id eo in primis enuntiari crediderit, ut tertiis nundinis quarta accusatio fieret.

§. III.

De Comitiis Tributis.

Quidnam primo habendis Comitiis Tributis caussam praebuerit, aperit Dionysius p. 463. quod scilicet Coriolano, qui laxandae annonae consilia in senatu agitata oppugnaverat; cum diem tribuni plebis dixissent, metuerentque, ne si centuriatis comitiis res acta foret, facile ille ditiorum suffragiis absolveretur; ita egerunt, ut populus tributim suffragia ferret, quo promiscue omnes vel infimi quique, de crimine in publicum emolumentum admisso iudicarent. Re namque vera, quoniam singulae tribus mistae omni genere civium erant, non minus in his comitiis imae plebis, quam optimatum suffragia valebant.

His autem orta initiis Tributa, (quod sane factum A. V. CCLXIII.) ac validius deinceps confirmata, non ultimum in republica locum obtinuerunt. Neque enim paucae, neque exiguae, quod mox videbitur, fuere res, quas si non simul omnes, at subinde illorum potestati committi placuit.

Res Comitiis Tributis accuratae.

Quae triplicis generis negotia ad alia comitia, eadem et ad Tributa pertinuerunt, videlicet Creationes, Leges, et Iudicia.

I. Certe quidem creatos his comitiis fuisse constat magistratus omnes urbanos minores, tum ordinarios, nimirum AEdiles, Tribunos, Quaestores, aliosque; tum extraordinarios, Praefectos annonae, Duumviros navales, eiusdemque generis ceteros; necnon provinciales, Proconsules, Propraetores, et extra ordinem mittendos; de quibus vide sis Livium VIII 23. et XXIX 13. Itaque si quando eiusmodi quodpiam provinciale extra ordinem munus per comitia centuriata delatum occurrerit, ut apud eundem scriptorem XXVI 18. id quidem practer consuetum morem ob insolitam aliquam rei gravitatem factum fuisse, credere ne dubita.

Non solum autem memoratorum modo magistratuum, sed complurium etiam sacerdotum creatio ad tributa comitia spectavit. Et iam olim quidem per ea Pontificem Maximum fieri solitum indicat Tullius II in Rull. 7. Deinde vero huius generis facultas ad omnium cellegiorum sacerdotes subrogandos prolata est, lege ad id lata a Cn. Domitio tribuno pl. de qua fuse, et luculenter disputat Idem eodem loco. Quare quod narrat Livius XXXIX 46. *Extremo prioris anni* (scilicet DLXVI multo ante legem Domitiam) *comitia auguris creandi habita erant*; hoc sane, quot semel tantum refertur, contra ac alias saepe traditur, a consuetudine omnino alienum fuisse putandum est. Iam vero id maxime de his sacerdotum

creationibus animadvertendum est, ad eas non omnes tribus, sed septendecim tantummodo sorte ductas, e sollemni instituto fuisse admissas, ut quem novem tribus renuntiassent, is omnino sacerdos esset. Cic. ibid.

II. Quales porro leges e Tributis exstiterint, subiecta exempla non incommode edocebunt.

Earum alias pacem faciendam spectasse patefacit locus Livii XXX 43. ubi lata per tribunos pleb. rogatione ad populum: *Vellent, iuberentne senatum decernere, ut cum Carthaginiensibus pax fieret?* . . . *De pace, Vti rogassent, omnes Tribus iusserunt.* Et XXXIII 25. simili prorsus ratione, lato ad plebem: *Vellent, iuberentne cum rege Philippo pacem esse?* . . . *omnes quinque et triginta Tribus, Vti rogas, iusserunt.*

Aliae in civitatis datione versatae sunt. Ita ex testimonio Eiusdem XXVII 5. *Mutines civis Romanus factus, rogatione ab tribuno pleb. ex auctoritate patrum ad Plebem lata.*

Aliarum materies fuit, imperium ducibus triumphi die impartiendum. Hinc, eodem scriptore referente XXVI 21. *Tribuni plebis ex auctoritate senatus ad populum tulerunt, ut M. Marcello, quo die urbem ovans iniret, imperium esset.* Huius autem legis necessitas ex eo profecta est, quod magistratus e provincia belloque redeuntes, cum imperii insignibus intra urbem iniussu populi esse nequirent: contra vero ut cum his triumpharent, res ipsa postulare videbatur.

Atque huius ferme generis fuere leges, quae tribuum suffragiis sanciri consueverunt.

Hae vero universae, si quidem rogante magistratu maiore ferrentur, *Leges* proprie dicebantur; at si minore, *Plebiscita.* Quae ipsa quondam solam plebem, post legem autem Hortensiam a Q.

Hortensio dictatore latam, universos aeque ac leges obstrinxerunt.

III. Iam iudicia tribubus permissa ea fuerunt, quibus multa certabatur. Pro aliis pluribus satis in id erit una haec Liviana narratio IV 41. *Moestae civitati ab re male gesta, et iratae ducibus M. Postumius reus obiectus . . . decem millibus aeris gravis damnatur. T. Quintium collegam eius . . . omnes tribus absolverunt.*

Adhaec quanquam de capite, nisi centuriatis ut ante declaravimus, non poterat iudicari; si tamen, dum capitis anquirebatur, ipse per se reus non exspectata iudicii die exsulatum abisset, tum ad id exsilium confirmandum Tributa valuisse manifeste patet vel ex uno Livii loco XXVI 3. qui post non pauca ad rem narrata ita concludit: *Priusquam dies comitiorum* (utique centuriatorum) *aderat, Cn. Fulvius* (de quo nimirum anquirebatur capite) *exsulatum Tarquinios abiit. Id ei iustum exsilium esse SCIVIT PLEBS.*

VNIVERSA ALIA
AD RATIONEM TRIBVTORVM
PERTINENTIA.

I. Praefuisse his comitiis, pro diversa gerendarum rerum ratione, magistratus modo maiores, modo minores (i. e. tribunos plebis) proditum memoriae est. Etenim ad creandos tum tribunos, tum aediles plebis, habita a tribunis ipsis fuisse comitia elucet ex Livio III 64. atque ex Dionysio p. 411. At cum de quaestoribus, aut de aedilibus curulibus agebatur, eadem per magistratum aliquem maiorem, et plerumque per consulem, acta passim occurrunt, ut apud Tullium VII Fam. 30. et IV ad Att. 3. Ad magistratus vero

minores extraordinarios designandos, necnon ad exercenda iudicia, condendasque leges, vel a consulibus, vel a praetoribus, vel denique a tribunis plebis indici suevisse compertum est.

Pontificis maximi creatio id ante legem Domitiam (de qua iniecta est supra mentio) peculiare habuit, ut suis comitiis pontifex aliquis praeesset. (Liv. XXV 5.) Post latam vero eam legem id iuris ad consulem fuisse translatum coniectat Gruchius II de Comit. 3. Pro faciendis autem reliquis omnibus sacerdotibus non alii, quam consuli, comitia habendi facultatem fuisse, indubium habetur.

De tribunis porro attexere par est, eorum edicto patricios advocari ad comitia non potuisse, prout significat Gellius XV 27. cum tamen fas esset patriciis ipsis, si vellent, adesse. Itaque quae per tribunos indicebantur comitia, ea a sola plebe agi mos fuit. Quod ferme etiam iis Tributis contingebat, quae a magistratibus maioribus haberentur: quamvis enim tunc edictum ad omnes spectaret, plerumque tamen primores interesse recusabant; quippe qui plebis suffragiis, numero longe prestantibus, sua facile superatum iri intelligerent.

II. Haberi Tributa inauspicato, et non consulto senatu solebant; uti testatur Dionysius p. 598. Quorum tamen alterum ad auspicia spectans non adeo interminatum fuit, ut non quibusdam finibus concluderetur; quod infra §. 5. declarabitur. Alterum vero non ita perpetuo servatum esse, ut non aliquando haec comitia patribus auctoribus agerentur, ostendunt relata a Livio XXVI 21. et XXVII 5.

III. Non unus huic comitiorum generi locus fuit. Nam et in Campo Martio (ubi plerumque

creati sunt magistratus), et in Comitio : et in Capitolio, et in Circo Flaminio habita, passim veteres enuntiant.

IV. Iam universis, qui centuriatis poterant interesse, haec etiam adeundi comitia facultas erat: quae propterea, perinde ac illa, trinundino, antequam haberentur, indicere curae fuit.

§. IV.

De Suffragiorum Latione.

Ne in tanta illa hominum multitudine, quanta ad comitia confluebat, ulla rerum perturbatio oriretur, non una sane ratione provisum fuit.

I. Ea de causa statutum in primis fuerat, ut universae populi partes, sive scilicet curiae, sive centuriae, sive tribus, suis quaeque locis, aliae ab aliis divisae, continerentur. Haec quidem loca, *Septa* sunt appellata. Hinc Ovidius I Fast. 53. ut diem comitialem designaret, hac usus est periphrasi:

> *Est quoque, quo populum ius est includere Septis.*

Fuerunt certe in campo Martio Septa tabulis circumdata : quae postea a Lepido e marmore constructa Agrippa dedicavit, et *Septa Iulia* nominavit. At cum alibi haberentur comitia, e funibus illa temporario opere fiebant. Ita apud Dionysium p. 463. *Οἱ δὲ δήμαρχοι συνεκάλουν τὸ πλῆθος ἐπὶ τὴν φυλέτιν ἐκκλησίαν, χωρία τῆς ἀγορᾶς περισχοινίσαντες, ἐν οἷς ἔμελλον αἱ φυλαὶ στήσεσθαι κατ' αὐτάς. Tribuni convocarunt multitudinem ad tributa comitia, loca fori funibus circumsepientes, in quibus constitutae singulae tribus essent.*

Adhaesit etiam Septis *Ovilis* nomen. De qua

tamen voce adiicere venit in mentem, eam peculiari quadam ratione videri adhibitam ad illud septum denotandum, ubi nulla quidem erat pars populi, sed magistratus comitiorum praeses assidebat; et quo demum singulatim curiae, centuriae, tribusve, ubi tempus adventasset, a suis digressae septis ad ferendum suffragium ingrediebantur. Hac plane notione usurpatum a Livio XXVI 22. id vocabulum deprehendes.

II. Iam porro postquam singulae illae suffragatorum societate in sua septa concesserant, sortitio fiebat, per quam, quaenam earum suffragium inire prima deberet, sine tumultu decerneretur.

Heic autem, antequam ultra progrediamur, non levia duo de comitiis centuriatis, tributisque praestabit advertere. Primum igitur cum ita res olim in centuriatis transigeretur, ut nulla adhibita sorte duodeviginti equitum centuriae priore loco, tum reliquae classis principis octoginta ad suffragia vocarentur; inde, ubi necesse foret, aliarum classium centuriae suo deinceps ordine sequerentur, uti ex Livio I 43. manifestum est: sequiore vero aetate nonnihil in hoc genere variatum fuit. Tunc enim temporis ex universis quinque (ut probat Gruchius I de Comit. 4.) classium centuriis una, quae prima in suffragium mitteretur, sorte ducebatur; dein autem ceterae pro sua quaeque dignitate citabantur. Ab huiusce vero sortis communione sextam classem exclusam fuisse merito creditur (41).

---

(41) Maximam huic rei fidem illa faciunt, tum quod proletariis, et capite censis (quali hominum genere ultima constabat classis) omni ipsis publico onere immunibus, parem porro ac reliquis auctoritatem in rebus civilibus esse, haud aequum putabatur; tum praecipue quod cum veteres scriptores de classibus

Quod vero ad alterum attinet, scire iuverit, eam primo solitam fuisse fieri sortitionem, qua constitueretur, in quanam tribu Latini, qui ad id in urbem venissent, suffragium ferrent. Hinc in Liviana historia XXV 3. legitur: *Testibus datis tribuni populum summoverunt: sitellaque lata est, ut sortirentur, ubi Latini suffragium ferrent.* Is autem mos ortum habit a foedere per Cassium Consulem cum Latinis inito (de quo fit mentio apud Dionysium p. 538.), cuius vi id Romanae civitatis ius assecuti illi fuerunt, ut in comitiis, quae de legibus, ac iudiciis essent (prout advertit Sigonius I de antiq. iur. Ital. 4.), suffragium ferre possent, modo tamen consules non vetarent. Quos reapse nonnunquam huic eorum privilegio obstitisse, iussis ex urbe abire, auctor est Dionysius p. 540. Huc etiam refertur locus hic Tullii

---

verba faciunt, sextam illam nullo habitam in numero fuisse luculenter ostendunt. Ita ex aliis Livius III 30. *Tricesimo*, inquit, *sexto anno a primis tribunis plebis decem creati sunt*, *BINI EX SINGVLIS CLASSIBVS.* Vbi cum omnes omnino classes dicendo adaequasse videatur, non tamen nisi de quinque, uti patet, loquitur; non maiore postraeme illius habita ratione, quam si nusquam plane gentium exstaret.

Adde ad hoc, quod C. Gracchus tribunus plebis, qui ut tenuioris conditionis civibus gratificaretur, id agere adnisus est, ut non una modo de consueto more centuria, sed singulae sorte ducerentur; legem tamen ea de re ita proposuit, ut extremae classis, quasi non esset, nullam fecerit mentionem. Quare Sallustius de Rep. Ord. 53. *Haud mihi quidem*, inquit, *absurde placet lex, quam C. Gracchus in tribunatu promulgaverat* (sed perferre non potuit) *ut ex confusis QVINQVE CLASSIBVS sorte centuriae vocarentur.*

pro Sext. 13. *Nihil acerbius socii Latini ferre soliti sunt, quam id, quod perraro accidit, ex urbe exire a consulibus iuberi.* Quoniam igitur ea tempestate non aliud, quam precarium veluti quoddam suffragii ius Latini obtinebant, nec propterea in ullam Romanam tribum adscripti erant; idcirco, quando comitiis interesse dabatur, locum simul in aliqua tribu per sortem dari mos erat. Sed postquam tandem lege Iulia Latini omnes in civitatem, ideoque in certam tribum recepti fuerunt, eiusmodi sortitio fieri desiit. Verum age ad rem propositam redeamus.

III. Cuius vel centuriae, vel tribus sors prima exciderat, ea *praerogativa* dicebatur, quod scilicet suffragium *prima rogaretur.*

At curia, quae sorte prior duceretur, non praerogativa quidem, sed *principium* dici suevit. Audi in id Livium IX 38. *Ei legem curiatam de imperio ferendi triste omnem diem diffidit, quod Faucia* (sive Saucia) *curia fuit Principium, duabus insignis cladibus, captae urbis, et Caudinae pacis.*

IV. Iam quae prima pars populi exierat, e septo, ubi constiterat, profecta ad illud, ubi magistratus consederat, accedebat. Tum per pontes, qua intro eundum erat, singuli conscendere incipiebant, simulque a *Diribitoribus* in pontium aditu stantibus tabellas ad ferenda suffragia accipiebant.

Hae sane tabellae, quarum usum leges tabellariae (memoratae a Tullio III de Legg. 16.) invexerant, cum antea suffragia voce darentur, triplicis fuere generis. Nam si magistratus, aut sacerdotes creandi essent, quot erant competitores, tot cuique impertiebantur tabellae, singulis eorundem inscriptae nominibus: duae vero, si leges essent ferendae, quarum altera prae se ferebat li-

teras *V. R.* nimirum *Vti Rogas*, altera *A. Antiquo*: tres denique, si iudicium agendum, unique earum adpositum erat *C. Condemno*, alteri *A. Absolvo*, tertiae *N. L. Non Liquet.* Quibus postremis verbis id indicabatur, rem non bene adhuc esse intellectam, nihilque idcirco posse de ea constitui. Ex his interim pronum erit percipere, praeter alia innumera, illud Ciceronis I ad Att. 14. *Operare Clodianae pontes occuparant. Tabellae ministrabantur ita, ut nulla daretur, VTI ROGAS.*

Horum vero pontium gratia *Depontani* dicti senes sexagenarii sunt; quos nimirum ea iam aetate civilibus curis exsolutos esse oportere crederetur (42).

V. Acceptis porro tabellis, ut quisque in Septum ingrediebatur, statim quam earum vellet in Cistam a *Rogatoribus* exhibitam coniiciebat. Apposite ad id Livius X 13. narrat: *Populus nihilominus suffragia inibat: et ut quaeque INTRO VOCATA erat centuria, consulem haud dubie Fabium dicebat.*

De eo autem Cistarum ad suffragia excipienda paratarum genere locutus est auctor ad Herenn. I 12. quando de Caepione legem Appuleiam frumentariam ex senatus consulto impedire contendente inquit: *Cum viris bonis impetum facit, pontes*

---

(42) Clare id explicat Varro apud Nonium XII 22. per haec verba: *Cum in quintum gradum pervenerant, atque habebant sexaginta annos, tum denique erant a publicis negotiis liberi atque otiosi. Ideo in proverbium quidem putant venisse, ut diceretur sexagenarios DE PONTE DEIICI oportere, id est ut suffragium non ferant, quod per pontem ferebant.*

disturbat, Cistas deiicit, impedimento est, quo secius feratur lex.

VI. Postquam universi suffragium tulerant, collectas in unum tabellas *Custodes* sigillatim educebant, easque dirimentes, consentientium numeros diversis punctorum ordinibus in aliqua tabula notabant: initaque postremo ratione, ea curiae, centuriae, aut tribus voluntas fuisse dicebatur, a qua plura puncta stetisse videretur.

Ab ea fuit causa, quamobrem idem saepe fuerit Latinis *punctum*, ac suffragium. Ita Tullius pro Planc. 32. *Questus es*, inquit, *plures te testes habere de Voltinia, quam quot in ea tribu Puncta tuleris.* Quo etiam respexit Horatius in Arte, cum scripsit:

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.

Heic autem omittendum non est, nullum fuisse suffragium, si pares in utramque partem forent tabellae; praeterquam tamen in iudiciis, in quibus illud pro reo habebatur, ex lege prodita a Dionysio p. 469.

VII. His omnibus, quae hactenus expensa sunt, peractis, primaeque partis per praeconem renuntiato suffragio, aliae deinceps singulae citabantur; eo tamen discrimine, ut curiae, et tribus ordine, quem sors tulisset, at centuriae pro suo quaeque iure vocarentur: quae propterea *Iure vocatae* audiverunt. Livius XXVII 6. *Galeria iuniorum*, inquit, *quae sorte praerogativa erat, Q. Fulvium, et Q. Fabium consules dixerat. Eodemque IVRE VOCATAE inclinassent, ni tribuni plebis C. et L. Arennii se interposuissent.*

Certe quidem ita plerumque fiebat, ut a praerogativae suffragio reliquarum partium suffragia non discreparent. Vnde est illud maiore quadam emphasi dictum a Tullio pro Planc. 20. *Vna cen-*

turia praerogativa tantum habet auctoritatis, ut nemo unquam prior eam tulerit, quin renuntiatus sit. Atque hinc ortum est, ut certum aliquod optatae rei pignus, vel omen, *praerogativa*, passim diceretur: ut apud eundem I Verr. 9. *Dedit ei Praerogativam suae voluntatis.* Et XV Fam. 5. Cato sic scribit: *Si triumphi Praerogativam putas supplicationem.*

§. V.

De Comitiorum Impedimentis.

Plurimis de tota comitiorum ratione ad id loci expensis, nihil iam reliqui est, nisi ut de eorundem impedimentis nonnulla adiiciamus. Haec autem fuerunt eiusmodi, ut comitia, vel antequam inchoarentur, fieri prohiberent; vel dum habebantur, rescinderent, dirimerentve.

I. Curiata quidem, et Centuriata, quae auspicato haberi oportebat, si magistratu per augurem captante auspicia sinistrum aliquid incidissent, in alium diem reiici opus erat.

II. Si vero, ipsis iam inceptis, vel etiam magna ex parte absolutis, augur, aut magistratus aliquis, cui id fas iusque esset, obnuntiasset, tunc intermitti illa statim debebant, eoque pacto, ut quidquid actum foret, irritum duceretur. Ex quo perfacile captu est, quare Cicero pro Leg. Manil. 1. de semetipso haec proferat: *Nam cum propter dilationem comitiorum ter praetor primus centuriis cunctis renuntiatus sum, facile intellexi, etc.* Nimirum obnuntiationibus tum factum fuit, ut bis praetorum creatio everteretur.

III. Comitia autem tributa, utpote inauspicato haberi solita, non omnibus, quibus cetera, auspiciorum religionibus erant obnoxia; tantummodo

si servatum de caelo fuisse renuntiaretur, aeque ipsa, atque alia, aut non adhuc instituta dimitti, aut iam incepta rescindi necesse erat.

Itaque communis omnibus comitiorum generibus lex illa fuit, quam affert Cicero II de Divin. 18. *IOVE TONANTE, FVLGVRANTE, COMITIA POPVLI HABERE NEFAS.*

IV. Praeter autem iam memorata, quorum maximum ad diruenda comitia erat momentum, alia porro quaedam fuerunt, quibus ea erat ad illa dissolvenda vis, ut quae tamen peracta iam essent, rata haberentur.

In horum numero fuit morbus, ab ipsa re *Comitialis* dictus, quo quis inter comitia corriperetur.

Adhaec tempestas per comitiorum tempus coorta. Hinc apud Livium XI 59. *Praetorum tribus creatis, comitia tempestas diremit. Postero die tres reliqui facti.* Vnde perspicitur, nullam labem ex huiuscemodi casibus fuisse creatis magistratibus importatam. Quod certe ad omnes attinuit: nisi quod censorum modo alia ab hac exstitit ratio; quandoquidem si, altero eorum renuntiato, ut comitia dirimerentur, contigisset, eius creatio vitiosa habebatur, cum ex vetere religione (quam in de Censoribus aperiemus) unus in republica censor esse non posset.

Impediri denique comitialia negotia poterant cuiuslibet magistratus intercessione, qui vel maiore, quam is qui praeerat, vel pari potestate polleret. Itaque consul quidem consuli, praetori tum consul, tum praetor, omnibus vero tribunis plebis (cuius qualibet in re maxime proprium fuit *intercedere*) obstare poterat. Tribuni vero ipsius conata non ab aliis, quam ab aliquo eius collega, perverti debebant. Harum autem, quae ad comi-

tia attineant, intercessionum exempla non pauca a scriptoribus produntur, ut a Livio VI 35. XXVII 6. atque alibi.

Ad illud postremo operae erit animum advertere; magistratus, qui contra atque augurum disciplina, et sollemnitatum religio ferret, crearentur, *vitiosos*, et *vitio creatos* dici consuevisse. Idque vitii ubi innotesceret, munere se abdicare eos cogere sollemne fuit. Vide Livium VIII 23. Ac de comitiis tantum.

CAPVT V.

De Magistratibus Romanis.

QVoniam *Magistri* vocabulum (a *magis*, uti videtur, ortum) iis omnibus accommodatum per Latinos fuit, quibus summa alicuius rei esset procuratio, ut propterea *Magistros vicorum*, *pagorum*, *societatum*, *collegiorum*, et sexcentos pari ratione alios, dictos reperias; iure porro qui publicis gerendis rebus praeficiebantur, *Magistratus* ducto illinc nomine sunt appellati.

De his iam nos singulis acturi, nonnulla prius ad eosdem communiter spectantia expediemus.

I. Ad honores a populo consequendos duo potissimum fuerunt, si non omnibus, quibusdam certe reipublicae temporibus flagitata, *Genus* et *Aetas*.

Genus quidem, dum plebs munerum publicorum (si tribunatum, et aedilitatem plebeiam exceperis) expers fuit, debuit esse patricium. Cuius tunc demum ratio habere desiit, quando eadem

illa aditum sibi ad dignitates interclusum dolens, et singulas subinde vario conatu ad semet pertrahens, universarum postremo, praeterquam unius Interregni, particeps facta fuit; ut iam exinde ad eas obtinendas aeque plebeii, ac patricii, admitterentur.

Aetas vero tunc primum requiri coepit, cum post leges *Annales*, sive *Annarias* certa aetas cuique constituta magistratui fuit. Huius generis leges plures latas compertum est. Quare ad annum ab urbe condita DXXXVII scripsit Livius XXV 2. petenti aedilitatem P. Cornelio Scipioni obstitisse tribunos plebis, *negantes, rationem eius habendam esse, quod nondum ad petendum LEGITIMA AETAS esset.* Idem porro XL 44. ubi res A. V. DLXX gestas exsequitur: *Eo anno*, inquit, *rogatio primum lata est ab L. Villio tribuno plebis, quot annos nati quemque magistratum peterent caperentque. Inde cognomen familiae inditum, ut ANNALES appellarentur.* Vbi quod dicit tunc primum eiusmodi legem latam, cum tamen alteram superiore loco ipse prodiderit, id cum Sigonio et Pighio fac eo referas, quod Villius absolutius aliquid de tota re constituerit; unde et cognomen familiae, tanquam a singulari minimeque aliis communi facto, partum sit.

Quotus vero vitae annus fuerit singulis magistratibus attributus, licet non inter omnes conveniat, sapienter tamen illi sentire videntur, qui quaesturae capiendae quintum et vicesimum annum (43) destinatum fuisse arbitrantur, aedilita-

(43) Qui de aetate Quaestoria ita sentiunt, ea potissimum ratione nituntur, quod Dio senatoriam aetatem anno vicesimo quinto definiat, quaestura autem aditum in senatum dederit, ut di-

ti XXXVII (quod ipsum de tribunatu intellige, quippe cum horum munerum, ut gradus ad superiora fieret, alterutrum obire satis esset); tum vero praeturae XL. Constat porro consularem aetatem fuisse annum XLIII, et censores dictatoresque e viris consularibus exstitisse.

Ab eo igitur instituto ingens semper cura fuit, ne quis ante legitimam aetatem ad honores veheretur; nisi tamen si quando reipublicae necessitas, vel utilitas contra fieri iussisset. Ea certe de causa Pompeius tres circiter ac triginta annos natus, consul creatus est. De qua re Tullius pro Leg. Manil. 21. ἐμφατικωτέρως inquit: *Quid tam singulare, quam ut ex senatus consulto legibus solutus consul ante fieret, quam ullum alium magistratum* (una quaestura excepta) *per leges capere licuisset?* Vere autem ille *solutus legibus*, tum scilicet annali, tum vero etiam Cornelia, quae per L. Cornelium Sullam lata sanxerat, ne magistratus alia ratione, quam gradatim et ordine obtinerentur. (App. Bell. Civ. I.)

---

ctum est. Cap. II in de Senatu; quare eodem et ipsa anno concludatur necesse est.

At enim Polybius VI 17. negat ullum magistratum urbanum cuiquam capere ante licuisse, quam dena stipendia confecisset: itaque cum militandi initium fuerit apud Romanos decimus septimus annus, non obtineri quaesturam nisi vicesimo septimo tandem potuit: quae certe est ea de re aliorum sententia.

Verum, ut eiusmodi lex rata in republica fuerit, cuius ceteroqui nemo alius meminit, id tamen de coacta militia accipiendum est, non de voluntaria eorum, qui quo citius honores assequerentur, castra alicuius ducis primo quoque tempore consectari contendebant. Ita Lipsius de Magistrat. Rom. 5.

II. Iam qui honores petituri erant, post edicta comitia *nomen profitebantur*, videlicet dato nomine petitores se declarabant. Hunc morem refert, quod scribit Livius XXVI 18. *Diem comitiis consules edixerunt. Primo exspectaverunt, ut qui se tanto imperio dignos crederent, NOMINA PROFITERENTVR.*

Poterat autem quis profiteri, vel per se praesens, vel per amicos absens, modo tamen, ut sui ratio haberetur, ante habita comitia advenisset. Hinc noscas licet, quare Cicero II in Rull. 9. ita queratur: *Praesentem eum* (Pompeium) *profiteri iubet, quod nulla alia in lege unquam fuit, ne in his quidem magistratibus, quorum certus ordo est.*

Ad magistratum vero, qui comitia edixerat, attinebat inspicere, num nomina profitentes ea essent conditione, quam postulabant leges; nec modo si, prout diversa tulere saecula, aut genere patricio forent, aut iusta aetate, verum etiam si integra fama. Etenim indignos reiici oportebat: in quorum numerum refer etiam, si cuius pater in potestate hostium contineretur. (Liv. XXVII 21.)

III. Quorum autem nomina recepta a magistratu fuerant, ii toga candida induti (unde *Candidati* dicti) per omnes eos dies, qui comitiis anteirent, *prensando*, obviorum scilicet manus prehendendo, tum amice quoslibet compellando, populi gratiam captare satagebant.

Maximo ad id usui fuit *Nomenclatorum* opera: qui e servorum genere, cum universorum nomina callerent, ea candidatis, ut salutare occurrentes singulos nominatim possent, tempore suggerebant. Id sane est, quod cecinit Flaccus I Epist. 6.

Si fortunatum species, et gratia praestat,
Mercemur SERVVM, qui DICTET NOMINA.

Eos propterea *Fartores* quoque apdellatos testatur Festus; quod, ut ait, *clam velut INFARCIRENT salutatorum nomina in aurem candidati.*

IV. Qui creati magistratus fuerant, modo ordinarii essent, non statim munus inibant: sed ex novissimo instituto (ut dictum in de Comitiis §. 2.) Kalendis Ianuariis; quo medio tempore *designati* dicebantur. Vnos censores subito a creatione officio functos, colligitur ex Livio XL 45.

Tribuni vero plebis ex peculiari quadam lege IV Id. Dec. partes suas agere instituebant; quod palam facit idem Livius XXXIX 52. Quem tamen diem secutis temporibus in Nonas Decembres versum fuisse indicat Asconius in Cic. Act. I in Verr. 10.

Omnes autem magistratus intra quinque ab inito munere dies iurare in leges debebant; quandoquidem, ut docet Livius XXXI 40. *magistratum plus quinque dies, nisi qui iurasset in leges, non licebat gerere.*

V. De discrimine, quod vulgo afferri solet, inter Magistratus *maiores*, et *minores*; *curules*, et *non curules*; *urbanos*, et *provinciales*; *ordinarios*, et *extraordinarios*, nihil adiicimus, tum quod totum id facile est dignosci, tum vero quod infra passim innotescet.

§. I.

De Consulibus.

Exactis Roma regibus anno CCXLV, ad CONSVLVM statim institutionem ventum est, in quos universa reipublicae moles inclinaretur.

I. De summa eorum potestate, primaque nominum ratione ita Tullius III de Legg. 3. *Regio imperio duo sunto: iique praeeundo, iudicando, consulendo, PRAETORES, IVDICES, CONSVLES appellantur.*

Eum itaque illi in republica locum ab ipso suae dignitatis exordio obtinuerunt, ut reliquis magistratibus anteirent; senatum pro arbitrio haberent; agerent cum populo; legesque ad eum ferrent, senatus consulta, populique iussa exsequerentur; ius dicerent; delectum militum facerent; exercitus ducerent: ad summam domi militiaeque in gerenda republica agerent primas.

Haec vero tam ampla auctoritas ne in plane regiae dominationis speciem evaderet, ita provisum est, ut nec annui spatii terminos excederet, et binis simul esset communis, ut vim potestatemque alterius alter quodammodo moderaretur. Quod adeo cordi fuit, ut si quando eorum alter supremum diem obiisset, statim alius in eius locum subrogaretur, *Consul suffectus* (44) appellatus.

---

(44) Post eversam rempublicam alia omnino a veteri *suffectorum consulum* ratio fuit. Haec enim appellatio tunc temporis illis adhaesit, quos uno eodemque anno, postquam primi (dicti per eam aetatem *Consules ordinarii*) rempublicam aliquandiu administraverant, creare inde Imperatores solebant.

II. Consulum ministri, atque insignia, quae ipsa regum fuerant, haec recensentur.

1. Lictores duodecim cum fascibus: quibus tamen virgarum fasciculis ille unus, penes quem erat imperium (quippe cum alternis imperitarent mensibus) utebatur; *ne si ambo fasces haberent, duplicatus terror* (regius) *videretur*, prout loquitur Livius II 1. Secures vero, quae primo initio fascibus fuerant singulis adnexae, ut non nisi extra urbem adhiberentur, Valerius Poplicola consul quam maxime popularis exemplo suo in morem induxit. (Dionys. p. 292.)

2. Sella Curulis: quae a *curru*, ut vulgo creditur (vel ex Mazochii sententia, a Chaldaico קרנם *Karon*, quod item *currum* denotat) nuncupata idcirco fuit, quod curru imponebatur, ut magistratus, quorum eadem erat, quique propterea *Curules* dicti, eam insidentes per urbem veherentur.

Ex ebore, eoque caelato sigillatoque, fuit. Hinc illud Flacci I Ep. 6.

Cuilibet hic fasces dabit, eripietque CVRVLE

Cui volet importunus EBVR.

Et hoc Ovidii IV de Pont. 9.


Signa quoque in Sella nossem formata Curuli,

Et totum Numidae sculptile dentis opus.

Quod ita nonnunquam factum, ut iteratis creationibus alia consulum paria aliis deinceps subrogarentur. Certe sub Commodo quinque et viginti consules exstitisse in unum annum tradidit Lampridius in Comm. 6.

Heic autem monendum illud est, cum res sie haberet, Ordinariorum, non autem Suffectorum, nominibus annos fuisse consignatos, licet et hi postremi Fastis adscriberentur.

Incurvis autem suffulta pedibus, formam, quam hic denarius (apud Ezechiel. Spanh. de Praest. et Vsu Num. Diss. VI.) exhibet, prae se tulit.



3. Toga praetexta: cujus tota in eo posita erat ratio, ut imam oram purpureus limbus ambiret.

4. Scipio eburneus, seu Sceptrum; cuius in apice aquila insidebat. Quod autem opinati nonnulli sunt, prisca aetate tantummodo triumphantes consules id insigne gestasse, sub Imperatoribus vero quotidie, hoc quidem a vero credimus abhorrere. Etenim Dionysius p. 195. et seq. inter regia ornamenta hoc etiam, quo de heic agitur, numerato, tum subdit universa ea (praeter coronam auream, togamque pictam) ad consulum usum devenisse. Itaque cum ex diligentissimi scriptoris testimonio indiscriminatim cum reliquis insignibus Scipio eburneus Consulibus concessus fuerit, nulla sat probabilis causa apparet, quare illi non, item ut alia, hoc quoque assidue usurpasse dicantur.

III. Iam quo die consules inituri magistratum erant, primo mane senatus populusque frequens eos adibat, praestitisque domi officiis inde eos

sollemni pompa (45) in capitolium deducebat. Ibi singulis illi bubus sacra Iovi faciebant. Vid. Liv. XLI 18.

Tum senatum habebant, ac primum omnium de indicendis feriis Latinis (46) referebant, quip-

---

(45) Hanc sane pompam aetate Principum, ubi de ipsis consulatum ineuntibus ageretur, *Processus*, et *Procedendi* vocabulis designatam non raro fuisse constat. Itaque in quodam nummo Constantini M. haec legitur epigraphe: FELIX PROCESSVS COS. VI AVG. etc. In altero autem Maxentii: FEL. PROCESS. CONSVLAT. AVG. N. i.e. *felix processus consulatus Augusti nostri.* Hinc et Claudianus Paneg. I ad Honorium consulatu tertio insignitum:

. . . *PROCEDE secundis Alitibus.*

Observavit iam haec Ezechiel Spanh. de Praest. et Vsu Numism. Dissert. VIII.

(46) Ferias Latinas a XLVII magistratibus populorum Latii una cum Romanis quatriduo in monte Albano celebrari mos fuit. Eorum dierum primum instituit Tarquinius Superbus, postquam cum Latinis iniit foedus, prout refert Dionysius p. 250. Alterum deinde adiecit populus, obtenta eiectis regibus libertate. Tertius porro additus ob plebis e Sacro monte, quo secesserat, reditum. Quod utrumque legitur apud eundem p. 415. Quartum denique accessisse ex concordia inter plebem patresque a Camillo dictatore restituta auctor est Plutarchus in Camill.

Iis autem feriis quatriduanum Iovi Latiali sacrificium fieri suevisse liquet. Sed et caesarum hostiarum carnem iis, qui adessent, distribui solitam ostendit in primis Liviana narratio XXXII 1. *Feriae Latinae Pontificum decreto instauratae sunt, quod legati ab Ardea questi in senatu erant, sibi in monte Albano Latinis carnem, ut assolet, datam non esse.*

Totum vero id Latinarum sollemne *Latiar* fuisse nuncupatum, eruditorum nonnulli crediderunt, advocatis in suam sententiam duobus (haud satis tamen certae fidei) testimoniis Macrobii I Saturnal. 16. et Tullii II ad Q. Fratr. 4.

pe quae certum destinatumque diem non haberent; quod noscitur e Livii locis XLI. 20. et XLIV 19. Id autem primae consularis relationis genus prae se ferunt dicta Tullii post Red. ad Quir. 5. *Kalendis vero Ian . . . P. Lentulus consul . . . simul ac DE SOLLEMNI RELIGIONE RETVLIT, nihil humanarum rerum sibi prius, quam de me agendum iudicavit.*

Hoc sane pacto munus auspicati novi consules *annum aperiebant, fastosque reserabant*, ut inquit Plinius in Paneg. cum iam inde annus eorum nominibus designaretur.

IV. De provinciis, quas saepe consules vix inito magistratu sortitos inter se fuisse, aut comparasse legitur, eas exploratum tibi sit bellicas fuisse procurationes, per eos certis in locis ex senatus auctoritate gerendas; quas plerumque per sortem, nonnunquam ex mutua consensione sibi singulas vindicabant. Ita apud Livium XXX 1. *Censuerunt patres, ut consules inter se compararent, sortirenturve, uter Bruttios adversus Annibalem, uter Etruriam ac Ligures provinciam haberet.* Tum non multo post, *Sortiti deinde provincias. Caepioni Bruttii; Servilio Etruria evenit.* Alia id genus exempla passim se se prodent. Illud autem huc coniicere operae fuerit, non fere consulibus in provincias exire suas, nisi actis feriis Latinis, licuisse. Adi Livium XXII 1.

V. Ad annum ab V. C. CCCLXXXVIII non ex aliis, quam e patriciis, consules sunt creati. At multis ea de re exortis ante, sedatisque contentionibus, eo tandem anno iterum ardente certamine de consule plebeio creando concessum plebi fuit. (Liv. VI 42.)

§. II.
De Censoribus.

Censendi populi munus a Servio Tullio institutum obitumque, ad consul es exactis regibus delatum fuit. Verum cum hi, qui pluries eo perfuncti fuerant, perpetuis demum occupati bellis iam censui agendo pares non essent, quem tamen incenso diu populo ultra differri e re non videbatur; id consilii captum est, ut proprius ad hoc officium praestandum magistratus exinde crearetur. Ita anno CCCXI facti primum bini sunt CENSORES. (Liv. IV 8.) Quorum auctoritas ex hoc sane quam levi initio orta, in ingentem porro amplitudinem succrevit.

I. Primum itaque eorum fuit, populum censere, scilicet singulorum civium bona, aetatem, sobolem, familiam in tabulas referre (47): ad hoc novas tribus, ubi ab aucta multitudine opus foret, veteribus addere; templa, vias, pontes, aquarum ductus, idque genus alia sarta tecta tueri; vectigalia exigenda, opera publica facienda,

(47) Summa agendi census, tanquam utilissimae rei, cura erat; quippe qui id vel maximum emolumentum afferret; ut per eum in tabulas relatae universae reipublicae vires uno veluti intuitu conspiciendae darentur. Quare in *incensos*, qui illum scilicet subterfugissent, ea fuit ab ipsius auctore Servio constituta poena; ut vincti caesique virgis trans Tiberim venderentur: teste Dionysio p. 221. Expertes igitur illi libertatis fiebant. De qua re ita Cicero pro A. Caec. 34. *Cum incensum* (populus) *vendit, hoc iudicat: cum is, qui in servitute iusta fuerit, censu liberetur, eum qui cum liber esset, censeri noluerit, ipsum sibi libertatem abiudicasse*: cum reapse libertas, ut alibi dicetur, invito Romano civi per populum auferri non posset.

aut reficienda, equos curules praebendos (48), necnon cibaria ad anseres (49) in Capitolio alendos, locare (50).

Iam porro, quod maximum censoriae potestatis momentum exstitit, ad eos pertinuit civitatis mo-

---

Praeter autem censum urbanum alius fuit in Romanis provinciis peragi solitus. De hoc genere Tullius II Verr. 26. *Census*, inquit, *qui isto praetore sunt habiti, non servaturum se Metellus ostenderat.* Is vero provincialis census eo spectabat, ut tributa in capita pro facultatum modulo imponerentur. Huiusmodi sane ex communi sententia fuit, quem Augustus, narrante Luca II 1. sub SALVATORIS ortum haberi iussit.

(48) Meminit horum Livius XXIV 18. quem locum non multo post producemus. Ex Festo autem curules erant *quadrigales*. Quare illi, quorum curam gerebant censores, fuisse creduntur, qui magistratibus publico sumptu vehendis praeberentur.

(49) Celebre est, quod Livius V 47. aliique vulgo de Capitolina arce per anserum clangorem a Gallorum impetu servata memoriae prodiderunt. Atque inde factum, ut, veluti gratiae referendae ergo, nil censoribus, cum munus occiperent, esse deberet potius priusque, quam ut pro anseribus ibi commorantibus cibaria publice locarent. Plutarch. Quaest. Rom. 97. Plin. X 22. Cic. pro Rosc. Amer. 20.

(50) Hae quidem locationes ad hastam universae fiebant. A qua est causa, quare, cum de iis sermo est, *hastae* non raro vocabulum a scriptoribus usurpetur. Ita apud Livium XXIV 18. *Cum censores ob inopiam aerarii se iam locationibus abstinerent aedium sacrarum tuendarum, curuliumque equorum praebendorum, ac similium his rerum: convenere ad eos frequentes, qui HASTAE huius generis assueverant.* Et XXXIX 44. *Quas locationes cum senatus precibus et lacrymis publicanorum victus induci, et de integro locari iussisset: censores, edicto summotis ab HASTA qui ludificati priorem locationem erant, omnia eadem paullum imminutis pretiis locaverunt.*

ribus advigilare, et quidquid uspiam a rectae disciplinae norma alienius deprehenderetur, in id inflictis ignominiae notis animadvertere: qua de causa etiam *Magistri morum* sunt nuncupati. Crimina autem, in quae suam illi auctoritatem intendebant, non ea quidem erant, quae praetores aliosque magistratus habebant vindices, de quibus loco suo sermo erit, sed leviora quaedam, quibus publicarum legum sanctitas non penitus attentari videretur: cuiusmodi fuerunt, si quis vineam agrumve suum silvescere passus esset (Gell. IV 12.); si cui equiti strigosior haberetur equus, quod *impolitiae* crimen dictum (Id. ibid.); si quem in tuenda republica desidiosius egisse appareret (Liv. XXIV 18.); atque alia his similia: inter quae tamen omnia praecipuum non bene praestita iurisiurandi fides locum obtinuit. (Cic. III Off. 31.)

Notae vero, queis ad haec castiganda utebantur censores, diversae pro diversis civium ordinibus fuerunt.

Itaque senatorem quidem, qui deliquisset, recitando senatu *praeteribant*, eaque ratione *senatu movebant*. Hoc pacto apud Livium XXXIV 44. *Censores. . . . . tres omnino senatores, neminem curuli honore usum, PRAETERIERVNT.*

Equitem autem, equo publico adempto, ad plebem amandabant. Ita, eodem referente XXIV 18. *His . . . EQVI ADEMPTI, qui publicum equum habebant.*

Plebeium denique *tribu movebant*, ex honestiore in minus honestam reiicientes.

Prae his vero longe gravior poena fuit, nec in plebeios modo, sed et in equites, et in senatores irrogari solita, qua quis *Aerarius fieret*: cuius vi omnibus ille civitatis iuribus privabatur, nisi

hoc tantum, ut aes' (unde appellatio derivata) idque etiam aliquando auctum, consueti tributi nomine persolveret. Obiicit rem totam Livianus hoc locus IV 24. *Censores aegre passi, Mamercum, quod magistratum populi Romani minuisset* (scilicet quinquennalem antea censuram, quod mox videbimus, coartasset), *tribu moverunt, OCTVPLICATOQVE CENSV AERARIVM FECERVNT.* Iidem porro aerarii, quoniam in primis suffragii ius amittebant, etiam *in Caerilum tabulas relati* dicebantur; quandoquidem Caerites olim municipes Romani facti, suffragii iure donati non fuerunt. Gell. XVI 13. Vnde et haustum illud Horatii I Epist. 6. *Caerite cera digni.*

II. Hinc iam satis patet, quanta censores potestate pollerent; praesertim vero cum praeter reliquorum omnium magistratuum rationem suum toto non minus quinquennio munus administrarent. Id autem omnino fuit in causa, quamobrem ut eorum nimiae, si minus iuris amplitudini, at imperii diuturnitati modus imponeretur, lege AEmilia (de qua Livius loco paullo ante laudato) a Mamerco AEmilio dictatore A. V. CCCXX lata, censoria dignitas intra duodeviginti mensium ambitum conclusa fuerit.

Per hanc tamen legem novatum de eo nihil est, ut singulis quinquenniis, quod certe antea servari oportuerat, censores crearentur. Quapropter ab aetatibus institutum illud consecutis, postquam annuum et semestre censurae spatium expletum fuerat, reliquo ad quinquennii exitum intervallo nulli erant in republica censores.

Non solum vero AEmilia lex, sed etiam Marcia in eum honorem, cuius splendor, vel consulari maior mirum quantum in oculos incurrebat, aliquibus finibus coërcendum intenta fuit. Haec ni-

mirum Suasore Marcio Censorino, cum esset censor, iterum, perlata cavit, ne cui eum magistratum bis capere liceret. (Plutarch. in Coriol.)

III. Bini, perinde ac consules, debuerunt esse censores; atque ea quidem peculiari conditione, ut altero eorum defuncto, alteri magistratus illico abdicandus esset, siquidem alium in demortui locum subrogare religioni erat. Id consuetudinis iam antiquitus obtinuit: etenim cum anno CCLXV mortuo censori suffectus alius fuisset, tum vero per illud lustrum Galli Romam cepissent, eiusmodi inde suffectio habita semper ominosa fuit. (Liv. V 31.)

Cum ipsis porro consulibus communia duo habuere censores insignia, SELLAM CVRVLEM, atque TOGAM PRAETEXTAM: de quibus iam supra dictum satis.

IV. Cum appeteret tempus, quo censores magistratu essent abituri, opera publica, quae integra praestanda locaverant, *sarta tecta exigebant.*

Adhaec populum censebant, suasque notas noxiis inurebant.

Tum eorum alter, cui sorte obtigisset, in campo Martio *lustrum condebat*, videlicet populum *Suovetaurilibus*, suem, ovem, taurumque immolando lustrabant, consuetudine a Servio Tullio totius rei inventore profecta, ut videre licet apud Livium I 44. In quo tamen e re fuerit advertere, non semper peracto censu lustrum fuisse conditum: quod, super cetera antiquitatis monumenta, patefaciunt verba eiusdem scriptoris III 22. *Census actus eo anno. LVSTRVM propter Capitolium captum, consulem occisum, CONDI RELIGIOSVM ERAT.*

Denique, postquam censores in leges iuraverant (quod in exitu magistratuum fieri solitum), ad

aerarium ascendentes, eorum, quos relinquebant aerarios, dabant nomina: cuius instituti non vulgare specimen proponit Livius XXIX 37. ubi etiam cetera, quae extremo hoc loco edidimus, se se praebent.

§. III.

De Praetoribus.

Cum *Praetoris* vocabulo ea subsit notio, ut quicunque *praeessent*, iis recte ac merito aptaretur, hinc plures significari per ipsum consueverunt. Quare donati eo fuere nomine tum consules, quod supra palam factum, tum dictator, uti patet per Livium VII 3, tum quicunque magistratus exercitum duceret, ex quo et *Praetorium* tabernaculum imperatoris vocatum, et ipsius comitatus *Cohors praetoria*; tum denique quisquis alicui muneri esset praepositus, quo pacto apud Gruterum Inscript. p. 318. legitur: PRAETOR SACRIS VVLCANI.

Verum peculiari dein iure propria eorum magistratuum facta huiusmodi nomenclatura est, quorum hoc loco rationem potestatemque persequi ipso rerum ordine iubemur.

I. Itaque anno ab V. C. CCCLXXXIX inductus primum in rempublicam is magistratus est, PRAETOR vocatus: quem novum honorem quaesivisse sibi patricios prodit Livius VII 1. *pro concesso plebi altero consulatu.* Ceterum non is temere institui visus, utpote iuri dicundo destinatus; a quo officio fungendo consules, quorum adhuc fuerat, persaepe bellorum curis avocabantur. At-

que haec quidem praetoriae maiestatis origo fuit.

Tum centum et viginti circiter post annis priori illi alterum addi placuit, qui ius inter cives et peregrinos diceret, cum ob peregrinorum frequentiam unus iam satis omnibus facere non posset. (Liv. Epit. XIX) Atque his quidem *Praetor peregrinus* audiit; cum alter ille *Praetor urbanus*, necnon *maior*, et *honoratus* diceretur.

Iam vero, Sicilia et Sardinia in provinciae formam redactis, binos exinde alios creari visum, totidemque praeterea, postquam subactae Hispaniae fuerunt: ut essent, qui quotannis ad quatuor hasce regendas provincias proficiscerentur. (Pomp. l. 1. D. tit. 2. l. 2.) Hinc pro diversis reipublicae aetatibus diversum praetorum numerum Livius obiicit. Ita Lib. XXIII 30. ad annum urbis DXXXV haec adscribit: *Praetores, Q. Fulvius Flaccus.... urbanam, M. Valerius Laevinus peregrinam sortem in iurisdictione habuit: Ap. Claudius Pulcher Siciliam, Q. Mutius Scaevola Sardiniam sortiti sunt.* Deinde Lib. XXXII 27. de rebus ad annum DLII spectantibus agens: *Sex praetores*, inquit, *illo anno primum creati, crescentibus iam provinciis, et latius patescente imperio.... Vrbana Sergio, peregrina iurisdictio Minutio obtigit, Sardiniam Acilius, Siciliam Manlius, Hispaniam Sempronius citeriorem, Helvius ulteriorem est sortitus.*

Cum autem constitutae postea fuissent quatuor *Quaestiones perpetuae* (quarum initium memoratur a Tullio in Brut. 27.) *de Repetundis, de Ambitu, de Maiestate*, et *de Peculatu*, ita scilicet, ut ipsae, quae hactenus nullis certis quaesitoribus addictae fuerant, ut alibi enucleatius edisseretur, suos inde singulae perpetuo haberent; tunc demum versa eo res est, ut universi Praetores to-

tum annum in urbe manerent, ex iisque duo veteri more ius dicerent, quatuor reliqui eiusmodi quaestiones exercerent: postmodum exacto annuo cursu in provincias, quas sors dedisset, abirent.

Ubi vero L. Sulla quatuor alias quaestiones perpetuas adiecit *de Falso*, *de Sicariis*, *de Parricidis*, et *de Iniuriis*, quatuor simul addidit Praetores. (Pomp. l. 1. D. tit. 2. l. 2.)

Per Caesarem porro crevisse illorum numerum ad quatuordecim, tum vero ad sedecim, auctor est Dio p. 237. et seq. Quod quidem nobis non tanti est: neque illud maioris momenti, quod idem deinde numerus pluries variaverit, vel per Augustum ad decem iterum redactus, vel per alios multifariam immutatus.

II. Ex dictis iam apparet, Praetorum urbani, et peregrini propriam fuisse *Iurisdictionem*, quae circa privatas controversias versabatur; reliquorum vero *Quaestionem*, quae ad vindicanda crimina pertinebat. Haec nihil quidem, in quo immorari debeamus, obiicit. Itaque de illa tantum, quae necesse fuerit, attexemus, fusius ex iis aliqua in de Iudiciis explicaturi.

Tribus quidem illis tota Iurisdictionis vis continebatur verbis *Do*, *Dico*, *Addico*. Quae ipsa spectavit Ovidius I Fast. 47. cum cecinit:

Ille nefastus erit, per quem TRIA VERBA silentur:
Fastus erit, per quem lege licebit agi.

1. *Dabat* nimirum praetor 1.° actionem, copiam scilicet litis in alium intendendae: 2.° iudices, qui causas cognoscerent disceptarentque: 3°. vindicias, per quod adiudicationum genus fiduciaria rei controversae possessio alteri litigatorum asserebatur: 4.° bonorum possessionem.

2. *Dicebat* ius, quod et ex legibus, et ex edi-

cto suo (de quo mox) reddebat; necnon sententiam, eandem nempe a iudice per se causae praeposito latam, quam ipse postea pronuntiabat.

3. *Addicebat* bona, et possessiones, quibus ex prolata sententia deberentur; et ipsos nonnunquam debitores creditoribus, ubi illi solvendo non essent. Ita apud Tullium pro Flac. 20. *Cum iudicatum non faceret, ADDICTVS Hermippo; et ab hoc ductus est.*

III. *Edictum* porro, formula iuris dicundi fuit, quam praetor urbanus magistratum iniens proponebat. Eo sane continebatur modus ratioque, quam se ille singulis in causis secuturum profitebatur. Quod quoniam non ultra valebat, quam quandiu eius auctor praeturam gereret, idcirco *Lex annua* dicitur apud Tullium I Verr. 42. ubi et subditur: *Finem Edicto praetoris afferunt Kalendas Ianuarii.*

Ex ipso autem urbani praetoris edicto creditur et peregrinus iurisdictionem suam obivisse; quippe qui nusquam apud veteres legatur peculiare edictum emisisse.

Cum vero saepe praetores aliter, atque edixerant, res gererent, lege Cornelia lata a C. Cornelio tribuno plebis provisum est, ne unquam ejs ab edictis semel propositis liceret abscedere.

Postremo, Hadriano imperante, ac plane ipsius auctoritate, eximii autem illius memoriae iureconsulti Salvii Iuliani opera, e superioribus praetorum edictis unum conflatum est *Edictum perpetuum*, ad cuius normam non varia exinde iuris dicundi ratio conformaretur.

IV. Iam loci genus sive iurisdictioni, sive quaestioni exercendae attributum, dictum *Tribunal* est: quale primum Romulus in conspicua admodum parte fori constituisse dicitur a Dionysio p. 99. Plu-

ra vero alia deinceps ad multiplicium iudiciorum usus extructa sunt.

Ex his Tribunal vetus, ipsum fortasse, quod excitavit Romulus, ad Puteal Libonis (de quo actum nobis p. 16. et seq. adnot. 11.) fuisse creditur. Certe Flaccus sic de Puteali ipso loquitur, ut parum, aut vix nihil ab eo praetoriae potestatis sedem abfuisse significet, cum quodammodo alterum pro altera ponere videatur. Ita II Sat. 6.

Roscius orabat, sibi adesses ad Puteal cras.

Et I Epist. 19.

. . . . *Forum, Putealque Libonis*
Mandabo siccis.

Celebre etiam in foro fuit Tribunal Aurelium: cuius mentionem facit Cicero post Red. ad Quir. 5. et alibi.

In Basilicis porro, quas ad iudicia cum primis peragenda paratas diximus p. 19. et seq. sua Tribunalia erecta erant. Quae Basilicae, quarum ibi tantum quatuor circa forum vetus stantes memoravimus, cum non paucae omnino in urbe essent, ut patet ex earum recensione P. Victoris; hinc vides, quam multus, quamque aptus quibusvis causarum generibus excipiendis Tribunatium numerus exstiterit.

Erat autem Tribunal, Suggestus in arcuatam figuram (uti ex descriptione Vitruviana V 1. elucet) conformatus, pluribus exstructus gradibus, eiusque amplitudinis, ut non exiguam caperet multitudinem. Ibi praetoris sella curulis locabatur: utrinque autem disposita subsellia erant, quae (ubi capitale iudicium ageretur) partim iudices, partim accusatores, testes, reusque, partim vero etiam accurrens turba occuparet. Hinc Cicero pro Rosc. Amer. 5. *Heic in foro*, inquit, *ante Tribunal tuum, M. Fanni, ante pedes vestros, Iudices, inter ipsa Subsellia caedes futurae sint.* Et ibid. 6.

Quorum alterum sedere in accusatorum Subselliis video (51).

Quod vero iis quoque, qui ad iudicium non pertinerent, datus locus in subselliis fuerit, luculenter indicat Cicero de Clar. Orat. 84. Vela autem, quod legitur, ad arcendum multitudinis conspectum tribunalibus praetendi solita, vetustioris Romanae antiquitatis fuisse non deprehenditur (52).

---

(51) Non aliunde ortum *Subselliorum* nomen fac credas, quam ex eo, quod sedes depressiores essent, qua ratione hae ipsae Graecis Τραπέζια dictae. Oblonga autem ea fuisse, scamnorum nostrorum ad sedendum comparatorum instar, planum fit pluribus scriptorum locis, quae huc conferre necesse non est. Atque eiusmodi quidem subsellia posita in tribunalibus erant, tum ubi quaestiones exercebantur, tum ubi iudicia centumviralia (de quibus in de Iudiciis dicemus) agebantur, utrobique a iudicibus potissimum occupata.

Verum et alia extra tribunal ad rem quoque iudiciariam pertinentia exstitere subsellia, quibus vel in foro, vel in aliqua basilica tribuni, aediles, triumviri, necnon iudices a praetore dati in suis reddendis iudiciis utebantur. Existimatur autem fuisse haec prioribus illis breviora eo usque, ut unum modo hominem possent capere.

Iam vero e dictis vides huiuscemodi subselliorum genera tum publicis, tum privatis iudiciis praesto fuisse. Eaque de causa Ciceroni XIII Fam. 10. *Versatus in VTRISQVE SVBSELLIIS* dicitur, qui operam utrique iudiciorum generi navaverat.

(52) Huius quidem moris plura exstant monumenta, at per sequiorem aetatem suppeditata. Ita in Actis SS. Claudii et Asteri apud Baronium an. 285. num. 8. *Lysias introgressus OBDVXIT VELVM: post exiens ex tabella recitavit sententiam.* Atque in Passione S. Patricii, quam ad diem XIX Maii Kalendarii marmorei Neapolitanae Ecclesiae Mazochius illustravit: *Patricius dixit: Iube, o Consularis, attolli Vela, ut*

ra vero alia deinceps ad multiplicium iudiciorum usus extructa sunt.

Ex his Tribunal vetus, ipsum fortasse, quod excitavit Romulus, ad Puteal Libonis (de quo actum nobis p. 16. et seq. adnot. 11.) fuisse creditur. Certe Flaccus sic de Puteali ipso loquitur, ut parum, aut vix nihil ab eo praetoriae potestatis sedem abfuisse significet, cum quodammodo alterum pro altera ponere videatur. Ita II Sat. 6.

Roscius orabat, sibi adesses ad Puteal cras.

Et I Epist. 19.

. . . . *Forum, Putealque Libonis*
Mandabo siccis.

Celebre etiam in foro fuit Tribunal Aurelium: cuius mentionem facit Cicero post Red. ad Quir. 5. et alibi.

In Basilicis porro, quas ad iudicia cum primis peragenda paratas diximus p. 19. et seq. sua Tribunalia erecta erant. Quae Basilicae, quarum ibi tantum quatuor circa forum vetus stantes memoravimus, cum non paucae omnino in urbe essent, ut patet ex earum recensione P. Victoris; hinc vides, quam multus, quamque aptus quibusvis causarum generibus excipiendis Tribunatium numerus exstiterit.

Erat autem Tribunal, Suggestus in arcuatam figuram (uti ex descriptione Vitruviana V. 1. elucet) conformatus, pluribus exstructus gradibus, eiusque amplitudinis, ut non exiguam caperet multitudinem. Ibi praetoris sella curulis locabatur: utrinque autem disposita subsellia erant, quae (ubi capitale iudicium ageretur) partim iudices, partim accusatores, testes, reusque, partim vero etiam accurrens turba occuparet. Hinc Cicero pro Rosc. Amer. 5. *Heic in foro*, inquit, *ante Tribunal tuum, M. Fanni, ante pedes vestros, Iudices, inter ipsa Subsellia caedes futurae sint.* Et ibid. 6.

Quorum alterum sedere in accusatorum Subselliis video (51).

Quod vero iis quoque, qui ad iudicium non pertinerent, datus locus in subselliis fuerit, luculenter indicat Cicero de Clar. Orat. 84. Vela autem, quod legitur, ad arcendum multitudinis conspectum tribunalibus praetendi solita, vetustioris Romanae antiquitatis fuisse non deprehenditur (52).

---

(51) Non aliunde ortum *Subselliorum* nomen fac credas, quam ex eo, quod sedes depressiores essent, qua ratione hac ipsae Graecis Τραπέζια dictae. Oblonga autem ea fuisse, scamnorum nostrorum ad sedendum comparatorum instar, planum fit pluribus scriptorum locis, quae huc conferre necesse non est. Atque eiusmodi quidem subsellia posita in tribunalibus erant, tum ubi quaestiones exercebantur, tum ubi iudicia centumviralia (de quibus in de Iudiciis dicemus) agebantur, utrobique a iudicibus potissimum occupata.

Verum et alia extra tribunal ad rem quoque iudiciariam pertinentia exstitere subsellia, quibus vel in foro, vel in aliqua basilica tribuni, aediles, triumviri, necnon iudices a praetore dati in suis reddendis iudiciis utebantur. Existimatur autem fuisse haec prioribus illis breviora eo usque, ut unum modo hominem possent capere.

Iam vero e dictis vides huiuscemodi subselliorum genera tum publicis, tum privatis iudiciis praesto fuisse. Eaque de causa Ciceroni XIII Fam. 10. *Versatus in VTRISQVE SVBSELLIIS* dicitur, qui operam utrique iudiciorum generi navaverat.

(52) Huius quidem moris plura exstant monumenta, at per sequiorem aetatem suppeditata. Ita in Actis SS. Claudii et Asteri apud Baronium an. 285. num. 8. *Lysias introgressus OBDVXIT VELVM: post exiens ex tabella recitavit sententiam.* Atque in Passione S. Patricii, quam ad diem XIX Maii Kalendarii marmorei Neapolitanae Ecclesiae Mazochius illustravit: *Patricius dixit: Iube, o Consularis, attolli Vela, ut*

Illud porro animadverti quoque dignum in hoc genere se offert, cum tribunal e solo altius elevaretur, ex eo manasse, ut binae hae formulae *Pro tribunali*, et *De plano cognoscere* inter se opponerentur. Hoc enim postremum fuit, cum praetor extra tribunal, non e superiore, sed *ex aequo loco* (uti loquitur Cicero III Fam. 8.) scilicet in plano stans, aut in via de levioribus negotiis, quae causae cognitionem non postularent, decernebat.

V. Cum iam satis per nos praetoria declarata sint munia, duo tamen adhuc praetoris urbani propria restant adiicienda.

Primum igitur eius fuit, consulum absentium partes in urbe agere. Significat manifeste id Cicero X fam. 12. dum scribit: *Placuit nobis, ut statim ad Cornutum praetorem urbanum literas deferremus; qui, quod consules aberant, consulare munus substinebat more maiorum.* Ea ille de causa et senatum non tamen fere, nisi ad res novas,

---

omnes exaudiant. Cumque consularis iussu Vela allevata fuissent, multitudo locum complevit.

Hinc autem *ad velum sisti* dicebantur rei, cum iudici sisterentur. Facit huc maxime Chrysostomi sententia in II ad Timoth. homil. V. *Latrones quandiu custodia detinentur, securi vivunt: ubi vero productos AD VELVM quis STITERIT, tum iam metu dissolvuntur, quippe iam morti propius admoti.*

Is autem velorum obtentus gravioribus tantum causis adhibebatur. Quare Basilius ep. 59. ad Eustath. *Principes,* inquit, *mundi huius quoties reum aliquem morte sunt damnaturi, ADDVCVNT VELA, adscitisque peritis, in disceptando temporis multum insumunt.* At quae levioris momenti causae essent, eae *levato velo* peragebantur. Quapropter Honorius Theodosiusque l. 5. C. de naufrag. ita edicunt: *De submersis navibus decernimus, ut LEVATO VELO causae istae cognoscantur.*

(ut indicat idem Tullius XII Fam.28.) per id tempus habebat, et cum populo in concionem convocato agebat. Vide Livium XXX 17.

Adhaec suo ipse iure ludos Appollinares faciebat: de cuius collati in eum muneris origine agit fuse idem scriptor XXV 12.

Praeter haec autem, quae praetori, de quo sermo est, communia cum aliis non fuerunt, illud etiam peculiare ei fuit, ut non ultra decem dies abesse ab urbe liceret. Ostendunt hoc verba Tullii II Phil. 12.

VI. Postremo attributi praetoribus ministri, necnon insignia, fuerunt, qui consequuntur.

1. Lictores sex cum fascibvs. Hunc numerum patefacit Valerius Maximus I 1. 9. *Praetor*, inquit, *a patre suo . . . . iussus, SEX LICTORIBVS praecedentibus, arma ancilia tulit.* Quare cum alicubi de duobus tantum mentio fiat, id ita accipi necesse est, ut duo saltem praesto semper magistratui esse debuerint. Huiusmodi profecto est, quod apud Censorinum de die Nat. 24. legitur: *Praetor urbanus, qui nunc est, quique posthac fuat, duos lictores apud se habeto.* Neque enim, si secus foret, satis aequum videretur, ut cum praetores provinciales senis lictoribus, quod liquet, uterentur, iis porro praetoribus, qui in urbe res gererent, duo solummodo id genus ministri manciparentur.

2. Scribae, et Accensi: illi, ut acta in tabulas referrent, hi, ut et citarent, et horam esse tertiam, meridiem, et horam nonam clamarent; uti refert Varro V. L. L. 9.

3. Toga praetexta.

4. Sella Cvrvlis.

5. Hasta, iurisdictionis insigne. Quae eam ob rem in hunc usum inducta videtur, quod iam an-

tiquitus praecipuum quoddam signum potestatis exstiterit; eaque de causa fuerit primum diis, tum vero etiam regibus attributa (53).

6. Gladivs, praetorum quaestionem exercentium proprius.

Hactenvs de magistratibus, qui simul maiores urbani, et ordinarii fuerunt; qui scilicet et maiore aliis potestate pollebant, et res urbanas administrabant, et statis temporibus creabantur: nisi quod ex iis censorum creatio intermissa nonnunquam fuit; quae tamen intermissio etiam consulatui, quod postea videbitur, aliquando evenit. Rerum nunc ratio postulat, ut ad magistratus minores urbanos ordinarios veniamus.

§. IV.

De Aedilibus.

Suum ex eo nomen hausisse Aediles, quod sacras privatasque *aedes* tuerentur, scripsit Varro IV L. L. 14.

Diversi ii generis, diversoque instituti tempore

---

(53) Eadem de causa ubi reorum bona vendenda per auctionem forent, ibi Hasta statuebatur, ut publica auctoritate venundari appareret. Ex quo tritum illud *Hastae subiicere* pro auctionari, prodiit. Sed et huc refer Tullii dictum Fam. IX 10. et XV 17. *Hastam refrixisse*; quod perinde est, ac bona civium publicari desiisse.

Quoniam vero etiam in centumviralibus iudiciis Hasta erigebatur, idcirco Valerius Max. VII 8. 1. *Hastae iudicium* pro centumvirali posuit: et IX 12. 7. *Hastam cogere* idem valere voluit, ac Centumviros convocare: quod munus ad Decemviros spectavisse alibi declarabitur.

fuerunt. Itaque vario nomine *Aediles Plebii*, *Curules*, et *Cereales* dicti. De his autem postremis, quos a Iulio Caesare primo eorum auctore rei frumentariae praepositos refert Dio p. 239. cum nihil sit notatu dignum, nihil nos in medium afferemus.

I. Aediles plebeii eodem anno, quo tribuni plebis, creati fuere, duo omnino, ad id, ut vicariam eis operam praestarent. (Dionys. p. 411.)

Aediles cvrvles allegi item bini ludorum celebrandorum causa çoepti sunt anno CCCLXXXIX, cum id muneris Aediles plebis detrectassent, prout narrat Livius VI 42. sub finem, et initio VII 1.

II. Vtrorumque Aedilium officia sic paucis indicavit Cicero III de Legg. 3. *Suntoque Aediles CVRATORES VRBIS, ANNONAE, LVDORVMQVE SOLLEMNIVM.*

Primum itaque curabant (tum maxime, cum censoribus respublica careret) aedificia, et loca publica, scilicet templa, fora, basilicas, aquaeductus, vias, et alia huiusmodi, ut integra haberentur; cum his vero etiam privatas aedes, ut, ubi opus foret, a suis possessoribus, ne periculum facesserent, reficerentur.

Adhaec annonae advigilabant; rebus venalibus praeerant; ac ne quid in mercibus improbum esset, ne quid in mensuris fraudulentum, illas, cum res prosceret, proiiciendo, has confringendo, providebant.

Eorundem porro fuisse legitur, foeneratorum avaritiam coërcere; in aleatores animad vertere; luxui, iisque omnibus, quae antiquos mores depravare possent, occurrere; profusos in primis funerum sumptus cohibere; peregrinas etiam religiones ab urbe propellere.

Haec autem universa communia ferme utrique aedilium generi fuerunt.

III. Peculiari vero iure aedilibus curulibus sollemnium ludorum celebratio commissa erat; cuius unius gratia, ut supra indicavimus, creati initio sunt. Quantam autem in hos magnifice edendos solerent illi pecuniam insumere, et quantopere hac ratione favorem sibi populi ad ampliores obtinendos honores sibi conciliarent, incredibile prope dictu videtur. Hinc Cicero III de Off. 16. commemoratis pluribus, qui functi splendidissima aedilitate fuerant, mox cap. seq. subdit: *Mamerco, homini divitissimo, praetermissio aedilitatis consulatus repulsam attulit.* Adeo popularis animus eiusmodi celebritatibus capiebatur.

Iam porro aedilium plebis proprium fuit, senatus consulta olim quidem in aede Cereris, sequiore autem aevo in aerario servare; ne ea scilicet a consulibus, quod antea factum, corrumperentur. (Liv. III 55.)

IV. Vtrosque aediles de rebus suae potestati concreditis iudicasse, plura scriptorum testimonia palam faciunt.

At uni tamen curules edictum, ex quo ius diceretur, ad praetorum instar proponebant. De hoc mentionem facit Tullius IX Philip. 7. cum inquit: *Senatum censere, atque e republica existimare, aediles curules edictum, quod de funeribus habeant, S. Sulpicii Q. F. Lemonia Rufi funeri remittere.*

V. Denique aediles plebeii nullis neque insignibus, neque ministris utebantur.

Curulibus vero, si non antiquitus, at posterioribus certe aetatibus servos publicos adfuisse auctor est Gellius XIII 13. Sed et sua iis ornamenta fuere, SELLA CVRVLIS, et TOGA PRAETEXTA:

tum porro ius imaginis, et antiquior (prae reliquis magistratibus nullo curuli magistratu functis) dicendae in senatu sententiae locus; quae omnia enumerat Cicero V in Verr. 14.

§. V.

De Tribunis plebis.

I. Cum Romana plebs incensa in patres odio et ira esset, maxime propter nexos ob aes alienum, facta tandem in Sacrum montem tria ab urbe millia passuum distantem secessione, non inde prius se passa est divelli, quam perstaturos in omne tempus posterum suae libertatis vindices obtineret. Concessum itaque plebi est, ut suos iam inde certos veluti tutores haberet, eosque *sacrosanctos*, ut ne quis eos laedere quolibet pacto posset, quin sacer esset. Hi autem fuere TRIBVNI PLEBIS, quinque tunc primum ab ipsa plebe creati. (Liv. II 33. Dionys. p. 410.*) Qui tamen tricesimo sexto post anno, decem effecti. (Liv. III 30. *)

II. Lecti quidem olim fuere de plebe. Quo eos tempore *Magistratus* appellatione caruisse compertum est. (Plutarch. Quaest. Rom. 80.)

Verum statutum postea, fortasse plebiscito Atinio de quo Gellius XIV 8.), ut nemo, nisi senator (plebeius tamen) tribunus fieret. At tunc invecta consuetudo fuisse videtur, ut tribuni plebis *Magistratus* nomine insignirentur.

Vt igitur ex dictis patet, unis plebeiis tribuniciam potestatem assequi datum est. Quam ob rem si quando quis patricius ad eam adspiraret, eius-

modi insistebat viam, ut prius in familiam aliquam plebeiam per adoptionem transiret: quo prorsus modo egit P. Clodius, qui cum patricio esset genere, ita sibi aditum ad tribunatum aperuit. Quocirca extra ordinem omnino fuit, quod legitur apud Livium III 65. *Novi tribuni plebis in cooptandis collegis patrum voluntatem foverunt; duos etiam PATRICIOS consularesque Sp. Tarpeium et A. Aterium cooptavere.* Quo in loco consuetudinem praeterea illam advertas licet, qua factum, ut si aliquo casu non omnes, quot solebant, renunciati comitiis tribuni fuissent, ab illis ipsis, qui creati iam forent, reliqui collegae adsciscerentur.

III. Tribunorum potestas maxime in *Intercessionibus* erat posita: per quas vel eorum unus quaelibet patrum, magistratuum, ipsorumque suorum omnium collegarum molimina, unica illa pronunciata vocula *Veto*, labefactare potis erat. Quod certe ius ab ipsa tribunicii muneris origine manavit, quippe cum hoc non ad aliud, quam ad iniurias, si alicunde inferrentur, a plebe prohibendas fuerit institutum, prout observavit Gellius XIII 12. Unde etiam ortum, ut, quo tribunorum auxilium praesto omnibus semper esse appareret, eorum aedes diu noctuque tanquam commune perfugium patere deberent: neque ipsi noctem ullam, praeterquam feriarum Latinarum tempore, abesse ab urbe possent, teste Dionysio p. 554. Ex eodem denique fonte fluxit, ut cuivis a magistratibus ad tribunos appellandi facultas esset, cuius rei innumera se se dant in historiis exempla. Si igitur se ipsos illi unis intercessionis finibus continuissent, non fere terminos sibi initio praestitutos egredi visi essent.

Sed longe ultra hunc modum iura illi sua, aliud

ex alio sibi sensim vindicantes, protulerunt. Cuius sic ampliatae potestatis vi conciones, plebisque comitia pro lubitu habebant; rogationes ferebant; senatum, etiam praesentibus in urbe consulibus, convocabant; ius dicebant; cuiusvis generis cives in populi iudicium citabant; eosque, cum videretur, in carcerem coniiciebant, quippe cum iam prehensionem, ac viatorem (quod docet Gellius XIII 12.) haberent. Id vero imperium, quo in vincula duci iuberent, in ipsos nonnunquam summos magistratus intendere, ubi rem ita postulare crederent, non dubitarunt. Ita apud Livium IX 34. *Haec taliaque* (P. Sempronius Tr. pleb.) *cum dixisset, prehendi censorem, et in vincula duci iussit*. Et in Epit. Liv. LV. *Tribuni plebis, qui non impetrarunt, ut sibi denos quos vellent milites eximere liceret, consules in carcerem mitti iusserunt.*

Fracta quidem aliquando per Sullam fuit tribunicia auctoritas; quae nil aliud ab illius lege, nisi intercessionem, retinuit. (Dionys. p. 340. et Cic. III de Legg. 9.) Sed eandem non multo post Crassus et Pompeius consules restituerunt. (Epit. Liv. XCVII.)

§. VI.

De Quaestoribus Vrbanis, Sive AErarii.

Tria Quaestorum exstitere genera. Etenim alii erant QVAESTORES VRBANI, sive AERARII; alii QVAESTORES PARRICIDII, seu RERVM CAPITALIVM; alii demum QVAESTORES PROVINCIALES.

Quorum omnium commune nomen a *quaerendo* est factum, quippe cum eorum esset vel publicas pecunias, vel maleficia conquirere, ut scripsit Varro IV L. L. 14. Iam nos, reliquis alio reiectis de primis tantum in praesens disseremus.

I. Hunc magistratum ab ipso Tullo Hostilio rege fuisse institutum affirmate refert Vlpianus l. 1. D. tit. 13. l. 1. Reipublicae vero initio Valerium Poplicolam consulem statim populo concessisse, ut binos crearet Quaestores, retulit Plutarchus in vit. Poplic. Atque haec de singulari eorum antiquitate.

II. Quod porro ad munus spectat, praepositi aerario fuerunt. Quare eorum fuit, pecuniam publicam undelibet redeuntem illuc inferre: eandem, pro eo ac opus posceret, erogare; universam autem in tabulas accepti, expensique referre: ibidem porro leges, et senatus consulta, postquam horum custodia ab aedilibus ad eos devenit, asservare; inde demum militaria signa belli tempore expromere.

Ipsi praeterea a Romanis ducibus, ubi Romam revertissent, iuramentum de occisorum hostium, et amissorum civium numero accipiebant; quo scilicet confirmaretur eundem esse, quem antea literis ad senatum missis nuntiassent. (Valer. Max. II 8. 1.) Id autem eo fiebat, ut iustus illis triumphus decerni posset: quandoquidem ex testimonio eiusdem scriptoris ibid. *lege cautum erat, ne quis triumpharet, nisi qui quinque millia hostium una acie cecidisset.*

Eis quoque demandatam non semel traditur fuisse a senatu curam, ut principes viros, regesve exterarum gentium Romam venientes liberaliter exciperent, de habitatione accommodarent, omnique officiorum genere prosequerentur: quin etiam, si

forte illi extremum ibi diem, vel etiam non procul inde obiissent, publico funere efferendos curarent. (Val. Max. V 1. 1.)

III. Iurisdictionem quaestores non habebant, neque vero prehensionem: quare a privato in ius vocari poterant, secus ac magistratus alii, quibus vocandi, prehendendive potestas esset, ex regula allata a Gellio XIII 13.

§. VII.

De Aliis Magistratibus Minoribus Ordinariis.

Praeter tres modo recensitos, alii plures in urbe erant magistratus minores ordinarii: quorum heic collecta simul tum nomina, tum munia uno spectanda intuitu proponere e re visum.

I. Triumviri capitales de infimae sortis hominibus, in primisque de servis ad columnam Meniam (54) in foro positam iudicabant. Hinc

---

(54) Huius columnae originem declaravit Asconius in Cic. Divin. in Verr. 16. per haec verba; *Menius cum domum suam venderet Catoni et Flacco censoribus, ut ibi basilica aedificaretur, exceperat ius sibi unius Columnae, super quam tectum proiiceret ex provolantibus tabulatis, unde ipse et posteri eius spectare munus gladiatorium possent, quod etiam tum in foro dabatur.* Atque hinc certe in Latialem linguam invectum est, ut omnes eius generis pergulae (Italice nunc *Logge*) *Meniana* vocarentur.

Ex eadem columna deducto nomine *Columnarios* (quos memorat Gaelius ad Cic. VIII Fam. 9.) dictos censuit Manutius homines abiectos improbosque, ad illam columnam in iudicium solitos vocari. Coniectura certe non aspernanda. Quamquam id vocabulum illuc

Cicero pro Cluent. 13. de quodam ad eum magistratum evecto in haec verba loquitur: *Ex petulanti atque improbo scurra in discordiis civitatis ad eam Columnam, ad quam multorum saepe conviciis perductus fuerat, tum suffragiis populi pervenerat.*

Eisdem suprema carceris cura tradita erat; impositumque munus, ut adessent, cum quis extremo supplicio afficeretur: quod utrumque declarant verba Pomponii l. 1. D. tit. 2. l. 2. Octo autem lictores praesto eis ad ministerium erant.

II. Trivmviri monetales aes, argentum, aurum publice signabant. Hinc frequens vetustis in monumentis illud est: III. Vir. A.A.A.F.F. videlicet Triumvir, Aere, Auro, Argento Flando Feriundo. Quod eorum munus cum Triumvirorum Capitalium officio collatum iocandi ansam Ciceroni praebuit VII Fam. 13. *TREVIROS vites censeo, audio CAPITALES esse: mallem AVRO, AERE, ARGENTO essent.*

III. Trivmviri nocturni arcendis incendiis, agendisque noctu excubiis vacabant. (Paull. l. 1. D. tit. 15. l. 1.) Eam ob rem ita narrat Valerius Max. VIII 1. 5. *Mulvius, Cn. Lollius, L. Sextilius Triumviri, quod ad incendium, in sacra via ortum, extinguendum tardius venerant, a tribunis plebis die dicta ad populum damnati sunt.*

IV. Qvatvorviri viarvm cvrandarvm; quos Pomponius l. 1. D. tit. 2. l. 2. non multo post

---

retulit Gronovius, ut denotati eo potius fuerint otiosorum greges, qui ad columnas in foro tempus plerumque tererent; ita ut iidem ferme essent *Columnarii*, ac *Subrostrani*. Vtrumlibet elige.

praetorem peregrinum institutos retulit, muniendis sternendisque viis praefecti erant.

V. Decemviri litibus (sive, ut antiquitus loquebantur, stlitibus) iudicandis certis quibusdam in causis, praesertim libertatem spectantibus, iudicabant. (Cic. pro Caecin. 33. et pro Dom. 29.) Praeterea in iudiciis centumviralibus primarias agebant partes: quandoquidem eorum erat, centumviros, cum praetor denuntiasset, cogere; tum porro de causarum summa cognoscere, testes audiendo, tabulas inspiciendo, reliquaque id genus praestando, quae in iudiciis publicis Iudex quaestionis exsequebatur.

Eos autem revera magistratus, contra ac nonnullis visum, fuisse, eumque honorem inter alios censeri suevisse, satis indicare videtur vetus inscriptio apud Sigonium I de Iudic. 5. in hanc formam concinnata: Scaeva. Qvaestor. Decemvir. Stlitibvs. ivdicandis. Tr. Pl.

§. VIII.

De Dictatore, Et De Magistro Equitum.

Enumeratis hoc usque magistratibus urbanis ordinariis, ad eos, qui creari extra ordinem solebant, accedamus.

I. Inter hos principem omnino locum Dictator habuit: qui ita vocatus ea magis, quam alia de causa, videtur, quod supremo iure *dictaret ediceretque*, quae sibi e republica viderentur. Idem et *Praetor maximus*, et *Magister populi* dictus est. Ex quo noveris, quam apte Cicero VII

Fam. 25. ut Caesaris dictatoris adventum significaret, dicto illo e pictorum scholis desumpto sit usus: *Sed heus tu, manum de tabula: MAGISTER ADEST citius, quam putaramus.*

Creandi autem dictatoris causa in primis fuit gravis aliqua temporum difficultas, ab acrioribus bellis, civiumque discordiis enata. Praeter id autem rerum genus alia fuere non pauca, ob quae etiam ille renuntiaretur, ut scilicet comitia haberet, senatum legeret, ludos faceret, quaestionem exerceret, ferias constitueret, clavum in templo Capitolino figeret: quae omnia apud Livium leguntur. De hac autem postrema re monere proderit, cum ea antiquitus consuetudo fuisset, ut quotannis ad notandum annorum numerum clavus (qui propterea auctore Festo *annalis* cognominatus) in sacra aede figeretur; cumque praeterea ferretur, eo aliquando per dictatorem fixo vel pestilentiam levatam esse, vel alienatas mentes compotes sui factas; hinc ortum, ut consecutis etiam aetatibus nonnunquam, ubi eiusmodi mala incidissent, dictator figendi clavi gratia diceretur. (Liv. VII 3. et VIII 18.)

Ipsum vero non populus in comitiis, sed peculiari plane iure consul creabat; atque ea quidem ratione, qua apud Livium IX 38. *Consul ... nocte silentio, ut mos est, L. Papirium dictatorem dixit.*

Iam quanta esset huius magistratus potestas, pervidere ex his licet, quod universa ad pacem bellumque spectantia suo ipse arbitrio administraret; quod supremum de civium capite bonisque ius penes eum esset; quod nemini ab eo liceret provocare; quod denique renuntiato eo ceteri, magistratus omnes, praeter tribunos plebis, munere desisterent, ut universam unus rempublicam modera-

retur. Itaque non immerito dictaturam regio vix dissimilem imperio declarat Dionysius p. 336. Hinc autem ad eam digne cohonestandam tum reliqua regia ornamenta, tum praecipue, singulari prorsus exemplo, VIGINTI QVATVOR (55) LICTORES cum FASCIBVS et SECVRIBVS (quod totum constat ex eodem historiographo p. 650.) adhiberi placuit.

Fuere tamen quidam fines, quibus tam ingens imperii amplitudo ita demum conclusa fuit, ut ne quando in magnum aliquod reipublicae exitium evaderet. Quare statutum est, ut dictator non ultra semestre spatium magistratum obtineret; neve unquam cum imperio extra Italiam proficisceretur. His porro adde, factum postea per legem latam anno CCCIV, ut esset ab illo provocatio; quippe, cum sancitum ea fuerit, *ne quis ullum magistratum sine provocatione crearet.* (Liv. III 55.)

Illud heic vero praetereundum non est, fuisse anno DXXXVI creatum a populo, quem nunquam alias invenies; PRODICTATOREM, nulla re alia, quam nomine, a Dictatore diversum, iis nempe de causis, quas affert Livius XXII 8. *quia consul aberat, a quo uno dici* (Dictator) *posse*

---

(55) Per eiusmodi lictorum fasciumque consularium geminationem indicatum procul dubio illud voluerunt, utriusque consulis potestatem in unum dictatorem fuisse collatam. De quo sane ita statuitur apud Tullium III de Legg. 3. *VNVS... IDEM IVRIS, QVOD DVO CONSVLES, TENETO.*

In locum igitur Livianae Epitomes LXXXIX, ubi legitur: *Sulla dictator factus, quod nemo quidem unquam fecerat, cum fascibus XXIV processit*; illud, *quod nemo quidem unquam fecerat*, aliena imperitaque manu fuisse iniectum non iniuria suspicatur Lipsius I Elect. 13.

videbatur; *nec per occupatam armis Punicis Italiam facile erat aut nuntium*, *aut literas mitti.*

II. Magistrvm eqvitvm dictator ipse dicebat. Itaque a consueto more alienum fuit, illum vel a senatu, vel a populo dari: quod tamen aliquando factum indicat Livius VII 12. cum inquit: *Dictatorem dici C. Sulpitium placuit*: *consul ad id accitus C. Plautius dixit. Magister equitum dictatori additus M. Valerius.* Simile legas apud Eundem VII 28.

Praecipuam is quidem in equites, unde et appellationem duxit, potestatem habebat. At dictatoris eodem ferme pacto administer erat, quo regum olim fuerant tribuni celerum. (Pompon. l. 1. D. tit. 2. l. 2.) Quare totus in eo ille esse debuit, ut huius voluntatibus omnem operam navando obsecundaret, nihilque unquam ab iis alienius aggrederetur. (Vid. Liv. VIII 32.)

Eum sex lictoribvs fuisse instructum, ac toga praetexta insignitum constat a Dione p. 197. cum praetexta autem sellam cvrvlem (quae duo insignia in magistratibus nunquam disiuncta occurrunt) permissam ei etiam fuisse credendum est.

§. IX.

De Interrege, *Et De Praefecto Vrbis.*

Alterum heic damus extraordinariorum magistratuum insigne par; quorum tamen nil alteri cum altero commune fuit.

I. Interrex statim a morte Romuli in me-

dium prodiit. Etenim per id tempus, non subito in novum deligendum regem consentientibus animis, ducenti patres, quos Romulus reliquerat, cum se se in decurias distribuissent, primum uni earum per sortem ductae rerum administrationem commiserunt, eo tamen pacto, ut unus modo e decem illis viris dictus *Interrex* per quinos dies regia potestate, regiisque insignibus ornatus imperitaret: quibus demum elapsis, alteri imperium traderetur, quod eodem deinceps ordine per omnes iret. Tum postquam prior illa decuria eo functa est munere, altera statim successit; ac mox huic alia; transmisso et inde ad alias dominatu. Atque haec sane regiminis forma, qualem paullo aliter a Livio describit Dionysius p. 119. annum integrum tenuit, donec rex alter Numa creatus est. Ea igitur olim interregis, atque interregni conditio fuit.

Post regum vero aetates renuntiandi Interregis nova causa exstitit. Nimirum cum nulli in republica essent nec consules, nec dictator, qui comitiis praeesse possent, tunc ille ad haec ipsa habenda a patriciis *prodebatur*. Qui (quoniam moris erat, ut non subito primus interrex comitia haberet, teste Asconio in Cic. pro Mil. 5.) ubi quinque dies gubernaculo adsedisset, alterum ad idem munus in tantundem temporis deligebat: exinde is, cum oporteret, alium: idque tandiucontinenti serie fiebat, dum consules crearentur. Hujus plane generis est, quod affert Livius VII 22. *Res ad interregnum redit. Infestam inde patribus plebem Interreges cum accepissent, ad undecimum Interregem seditionibus certatum est.*

II. Iam porro Praefectus urbis ille quondam dicebatur, qui a regibus, ac postea a consulibus ad bella proficiscentibus eligebatur, qui pro

se interim urbi praeesset; prout tradidit Tacitus Annal. VI.

Postquam autem institutus in republica fuit praetor urbanus, cui id etiam datum est, ut consularem vicem absentibus consulibus fungeretur; tunc vero Praefectus Vrbis Latinarum tantummodo feriarum causa creabatur. Cum enim ad has celebrandas universi magistratus Romani convenirent, uti Dionysius p. 554. memoriae prodidit, ut urbi interea temporis aliquis moderator adesset, Praefectus, quo de agitur, ibi a consulibus relinquebatur. Qui per quatuor illos dies consulum partes agendo senatum quidem, auctore Gellio XIV 8. ob subitam rem aliquam habere poterat, comitia vero non item, quippe cum feriatis diebus agi cum populo nequiret.

§. X.

De Decemviris, Et De Tribunis Militum Consulari Potestate.

I. Cum non certe adhuc; totique rei moderandae pares, perscriptae apud Romanos leges essent, sed omnia ferme, ut olim regum, ita dein consulum gererentur arbitrio; id tandem magistratu plebeio indignante, placuit senatui (si fides habenda Livii ac Dionysii testimoniis) peti a Graecis urbibus, praesertim Athenis, leges atque instituta, quae inde ad Romanae civitatis usum componerentur. Tum postquam per legatos ad id missos allatae sunt, ad eas condendas creati A. V. CCCI fuere Decemviri; qui universis aliis ma-

gistratibus sublatis soli in republica summo cum imperio, ac sine provocatione essent. (Liv. III 33. et Dionys. p. 680.)

Iam hi, simul ac magistratum occeperunt, ea inter se ratione (uti refert Halicarnasseus ibid.) partiti sunt munia, ut singuli statutis vicibus ad certos dies consulare imperium atque insignia obtinerent; unoque imperante, ceteri ad populi invidiam declinandam habitu vix a privatis dissimiles essent, uno tantum (ex Patavini relatu ibid.) Accenso contenti: universi autem a primo mane cognoscendis pro tribunali caussis vacarent. Cum vero promulgandas leges (ad quas maxime renuntiati fuerant) e patriis moribus, et peregrino iure conflatas diu diligenterque expendissent, postremo in X tabulis conscriptas, et publice propositas, cum ingenti omnium consensu pertulerunt. (Liv. III 34. et Dionys. p. 681.)

Quoniam vero decem illis legum tabulis, quot primo exstiterant, aliquid adhuc ad absolutam iuris rationem deesse videbatur, anno insequenti creati sunt iterum perficiendae rei causa Decemviri. Qui novis additis legibus, XII tabularum numerum expleverunt. (Liv. III. 37. Dionys. p. 684.)

II. Alia porro de causa invecti in rempublicam fuere Tribuni militum consulari potestate; quod scilicet contendere aliquando tribuni plebis coeperunt, ut, quod nunquam antea factitatum fuerat, iam alter consul e plebe fieret. Vt igitur eorum tumultibus obviam iretur, neque tamen summus ille honor, in unos adhuc patricios collatus, impertiretur plebi, senatus consulto a plebeiis comprobato statutum est, ut pro consulibus Tribuni militum consulari potestate tres e patriciis, totidemque de plebe crearentur: dein vero annuo exacto spatio convenire iterum inter se-

natum plebemque deberet, utrum eosdem rursus, an consules administrandae reipublicae admoveri mallent.

Ita anno CCCIX ad consulare munus obeundum renuntiati primum sunt Tribuni militum, tres tamen numero, omnesque patricii, iam eo uno satis contenta plebe, quod sui ratio habita videretur. Quin etiam his ipsis, quod vitio creati dicerentur, mox abdicantibus, ad consulum creationem reditum statim est. (Liv. IV 6. et 7. Dionys. p. 735. et seq.)

Consecutis inde annis novas identidem turbas conciente plebe, iterum ac saepius Tribuni id genus e comitiis prodierunt, misti ex patriciis plebeiisque, ac vario numero, modo tres, modo quatuor, modo sex: donec tandem anno CCCLXXXVIII concedentibus patribus, creari primum consul de plebe coepit. (Liv. VI 42.)

§. XI.

De Magistratibus Extraordinariis Minoribus.

Sicuti magistratuum ordinariorum, sic etiam eorum, qui extra ordinem fierent, alii maiores, alii minores erant. Itaque cum de extraordinariis maioribus dictum satis sit; restat ut de minoribus pauca videamus.

I. Praefectus annonae, cum fame urbs premebatur, ad accurandam rem frumentariam creari solebat. Ita apud Livium IV 12. *Coepere a fame mala . . . postremo perpulere plebeii, haud adversante senatu, ut L. Minutius Praefectus annonae crearetur.*

II. Quaestor parricidii, vel rerum capi-

TALIVM ad quaerendum de aliquo crimine legebatur. Ac in magistratibus extraordinariis minoribus ille quidem numeratus est, licet plerumque id munus consulibus, alterive eorum, aut alicui e praetoribus, aut etiam dictatori mandari soleret. Quare Livius IV 51. sic refert: *Senatusconsultum factum est, ut de quaestione Postumianae caedis tribuni primo quoque tempore ad plebem ferrent, plebsque praeficeret quaestioni, quem vellet. A plebe consensu populi consulibus negotium mandatur.*

Quibus vero de causis, quibusve reipublicae aetatibus ad huius magistratus creationem ventum aut saepe, aut aliquando sit, declaratum reperies Cap. VII de Iudiciis Part. 2.

III. QVINQVEVIRI MENSARII, ad levandos aere alieno cives creati, occurrunt apud Livium VII 21 ita narrantem: *Novi consules fenebrem quoque rem, quae distinere unanimos videbatur, levare aggressi, solutionem alieni aeris in publicam curam verterunt, Quinqueviris creatis, quos Mensarios ab dispensatione pecuniae appellarunt.*

IV. Fuere etiam DVVMVIRI NAVALES, quos memorat Livius IX 30. Praeterea TRIVMVIRI REFICIENDIS SACRIS AEDIBVS: necnon QVINQVEVIRI MVRIS TVRRIBVSQVE REFICIENDIS: qui utrique ab eodem historico XXV 7. producuntur. Verum de his nihil peculiare habemus quod apponamus, cum nihil de eorum potestate sit, quod non ab ipso nomine statim patescat.

NEQVE vero de universis omnino magistratibus urbanis cuiuscunque ii demum generis fuerint, quidquam reliqui est, quod ad hactenus dicta addendum esse putemus. Itaque provinciales modo, quod unum superest, extrema hac parte sistantur necesse est.

*

§. XII.

De Proconsulibus, Et Propraetoribus.

I. Quibus provincia aliqua extra ordinem dabatur, ii in primis PROCONSVLES, vel PROPRAETORES dicti.

Heic autem primum omnium advertas oportet, huius generis *provincias*, quae PROCONSVLIBVS, aut PROPRAETORIBVS decernebantur, non ferme fuisse regiones extra Italiam Romanis armis subactas (quae maxime propria fuit eius nominis notio), sed quaelibet munera, ad bellum plerumque spectantia, illis imposita. Quo sane sensu, generatim quaevis officia denotante, frequentissimus Latinis est eiusdem vocabuli usus (56).

II. Itaque si alicui privato consulare imperium

(56) Certe quidem Livius, ut reliquos omittamus quotiescunque (quod percrebro usuvenit) de muniorum partitione inter novos consules praetoresque facta sermonem habet, hanc stabili quadam ratione vocem usurpat. Pro sexcentis aliis, valeat is unus locus, qui est XXXVII 36. *Consulatum inde ineunt C. Claudius Nero, et M. Livius iterum. Qui, quia iam designati PROVINCIAS sortiti erat, praetores sortiri iusserunt. C. Hostilio urbana iurisdictio evenit; addita et peregrina, ut tres in provincias exire possent. A. Hostilio Sardinia, C. Mamilio Sicilia, L. Portio Gallia evenit.* Vbi cum duae tantum verae provinciae numerentur, Sardinia, et Sicilia; reliquae tamen procurationes uno omnes *provinciarum* nomine comprehenduntur: id quod remur maximo esse opere tironibus attendendum.

deferretur, ipse tunc *Pro consule* dicebatur. Illustre admodum huiusce rei documentum praebet Livius XXVI 18. ubi inquit: *Postremum eo decursum est, at populus PRO CONSVLE creando in Hispaniam comitia haberet.* Tum non multo post: *Ad unum omnes non centuriae modo, sed etiam homines P. Scipioni* (quatuor et viginti ferme annos nato) *imperium esse in Hispaniam iusserunt.*

Eadem appellatio eorum erat, quibus gesto iam consulatu imperium prorogabatur. Quare apud Eundem VIII 23. legitur: *Cum et comitiorum dies instaret, et Publilium imminentem hostium muris avocari ab spe capiendae in dies urbis, haud e republica esset; actum cum tribunis est, ad populum ferrent, ut cum Publilius Philo CONSVLATV ABISSET, PRO CONSVLE rem gereret, quoad debellatum cum Graecis esset.*

III. Simili porro ratione *Propraetores* vocati sunt illi, quibus in rebus bellicis acta praetura prorogatio imperii concederetur. Ita cum in annalibus eiusdem scriptoris XXVII 7. dicatur: *C. Hostilius* (praetor, ut indidem patet, urbanus) *ab C. Laectorio pro praetore provinciam exercitumque, qui tum iam Arimini erat, acciperet*: postea ad insequentem annum cap. 22. de eodem subditur: *PROROGATVM* (imperium) *et C. Hostilio Tubulo est, ut PRO PRAETORE in Etruriam ad duas legiones succederet C. Calpurnio.*

Ex his interim locis illud praeterea colligas licet, quanam antiquitus forma huiusmodi magistratuum nomina efferrentur. Quae quidem cum in duas essent antea disiuncta voces, in unam aliquando tandem coaluerunt.

IV. Praeter eos autem Proconsules, de quibus modo dictum, quorumque extraordinarium erat

imperium, alii porro ordinarii fuerunt, illi nimirum, qui consulatu perfuncti ad aliquam inde regendam provinciam abibant. Etenim cum per assiduas victorias Romanarum numerus provinciarum magnopere crevisset, iam harum administrationem non modo, ut ante, praetores, sed etiam ex consulatu consules suscipiebant. Id sane e reliquis egerunt Gabinius, et Piso, qui statim post consulatum alter ad Syriam, alter ad Macedoniam gubernandam profecti sunt.

Neque secus de Praetoribus res habuit, qui (ut retulimus p. 124.) obita Romae praetura ad unam e provinciis mittebantur. Quos tamen etiam quo tempore provinciali huic muneri vacabant, Praetores potius, quam Propraetores appellatos invenies.

Illud vero silentio praeterire haud decet, si quis provinciam acciperet non subito ex consulatu aut praetura, eum extraordinarii magistratus loco fuisse habitum. Hac de causa Tullius, qui Ciliciam proconsul obtinuit, at aliquot a consulatu annis, id imperium extraordinarium vocat, in haec verba scribens V ad Att. 9. *Faciam, ut summa, modestia et summa abstinentia MVNVS HOC EXTRAORDINARIVM traducamus.*

V. Iam de his provinciarum praesidibus nonnulla scitu digna attexere par est.

Antequam illi ab urbe proficiscerentur, quaecunque eorum vel itineri, vel procurationi necesse forent, videlicet Viaticum, Exercitus, Stipendium, Comitatus (57) a senatu decernebantur. Id-

---

(57) Plures magistratuum vel adiutores, vel ministri erant, qui universi uno *Comitatus* nomine indicabantur: videlicet Quaestor, Legati, Tribuni militum, Praefecti; adhaec Scribae, Accensi, Praecones, Lictores, Interpretes, Haruspices. Huc vero referendi quo-

quae omnino fuit *Ornare provincias.* Hinc Cicero III ad Att. 24. *Cum scripsissetis*, inquit, *consulares PROVINCIAS ORNATAS esse.*

Vbi vero profectionis dies adventasset, tunc illi paludati, praeeuntibus lictoribus cum fascibus ac securibus, iter ad provincias ingrediebantur. Atque heic e re nata de lictorum numero monere libet; duodecim quidem proconsulibus praesto fuisse, sex vero praetoribus. Quapropter Cicero in Maniliana, 12. ut Sextilii, et Bilini praetorum provincialium casum commemoraret, inquit: *Cum DVODECIM SECVRES in praedonum potestatem pervenerint.*

VI. Quod porro ad iurisdictionis in provinciis exercendae rationem attinet, sciendum cum primis est, unamquamque provinciam in plures *Dioeceses*, sive *Conventus*, ac *Iurisdictiones* fuisse distributam; quod palam facit Plinius III 1. et V 29. in his autem singulis oppidum aliquod iuri dicundo fuisse destinatum, *Forum* ea de causa vocatum: quo, cum magistratus ius diceret, totius Dioecesis homines ius suum persecuturi convenirent.

Ille igitur per hiemem fere (aestate plerumque, ubi res flagitaret, bellis insumpta) Conventus obiens, hoc pacto universis provincialibus, necnon Romanis civibus id poscentibus, ius reddebat. Ex quo quidem instituti genere ortum duxerunt formulae illae iis magistratibus accommodatae, *Conventus circuire*, *agere*, *peragere*; *Forum indicere*, *agere*; aliaeque his similes. Itaque Caesar V

---

que sunt Contubernales; illustres nimirum adolescentes; qui, quo rem militarem addiscerent, Praesidem in provinciam prosecuti ab eius nunquam latere discedebant.

Bell. Gall. 1. scribit: *Ipse CONVENTIBVS Galliae citerioris PERACTIS, in Illyricum proficiscitur.* Et Hirtius VIII Bell. Gall. 46. *Paucos ipse dies in provincia moratus, cum celeriter omnes CONVENTVS PERCVCVRRISSET, publicas controversias cognovisset, tandem ad legiones in Belgium se recepit.* Denique Cicero V ad Att. 21. *Idibus Februariis, quo die has literas dedi, FORVM institueram AGERE Laodiceae.*

Illud autem praeterea huius loci est animadvertere, hos provinciarum rectores pro diversis causarum generibus diversam iudiciorum rationem, non secus ac Romae a praetoribus fiebat, adhibuisse. Etenim privatas quidem causas iudicibus e civium Romanorum ibi commorantium grege delectis (uti ex Gronovio notavit Graevius Praefat. Tom. I Antiq. Rom.) disceptandas mandabant. In publicis vero iudiciis nonnullos eorundem in consilium sibi adsciscebant, e quorum sententia de re, qua de agebatur, statuerent: quod planum fit per Tullium II in Verr. 29.

Ius vero ipsum dicebant illi ex edictis suis. Quae sane cum pro lubitu conficerent, saepe tamen in ea aliquid e superiorum praesidium edictis transferebant. Hanc se quoque rationem secutum declarat Cicero III Fam. 8. *Romae*, inquit, *composui edictum: nihil addidi, nisi quod publicani me rogarunt, cum Samum ad me venissent, ut de tuo edicto totidem verbis transferrem in meum.* Hinc autem factum, ut quod de alieno apponebant, *edictum translatitium* diceretur, quod vero de suo, *edictum novum.* Docent hoc verba eiusdem Tullii I in Verr. 44. et seq. *In re tam usitata satis est ostendere, omnes antea ius ita dixisse, et hoc vetus edictum TRANSLATITIVMque esse. Cognoscite aliud hominis in re vetere EDICTVM NOVVM.*

VII. Cum porro provinciae rector totum annum ei praefuisset, compositas eiusdem rationes apud duas civitates deponere, antequam decederet, ex lege debebat. Quare Cicero V Fam. 20. de se ipso dicit: *Illud quidem certe factum est, quod lex* (nimirum Iulia, paullo ibidem ante memorata) *iubebat, ut apud duas civitates, Laodicensem, et Apameensem . . . . rationes confectas et consolidatas deponeremus.*

Exinde tradita successori provincia exercituque, triginta ipsos dies a lege Cornelia ad decedendum habebat. Expressit hoc ipse Tullius III Fam. 6. cum ad Appium decessorem suum scripsit: *Eo decessisti, quo ego te ne persequi quidem possem triginta diebus, qui tibi ad decedendum lege, ut opinor, Cornelia constituti essent.*

At successore cunctante, praeficiebat ille interim provinciae, ne intutam relinqueret, unum aliquem e legatis, vel potius quaestorem. Hinc idem Cicero II Fam. 15. *Ego* inquit, *de provincia decedens quaestorem Coelium praeposui provinciae.*

VIII. Postquam autem Romam ille reverterat, si quidem petiturus triumphum esset, extra urbem cum lictoribus, et fascibus, iisque nonnunquam laureatis (58), subsistebat, donec a senatu de re

---

(58) In more erat positum, ut laurea ornarentur fasces eorum ducum, qui ob non vulgarem aliquam partam victoriam *Imperatores* salutati a militibus fuissent. Itaque hanc honorificam appellationem virtutis ergo concessam (de qua in de Militia redibit mentio) continuo illud insigne fascium sequebatur. De utroque, quod iam sibi propter res in provincia gestas obtigerat, loquitur Cicero II Fam. 16. cum ait: *Accedit etiam molesta haec pompa lictorum meorum, NOMENQVE IMPERII, quo appellor . . . . . . Incurrit haec nostra LAVRVS non solum in oculos, sed iam*

proposita decerneretur. Confer huc, quae dicta de hoc genere fuerunt pag. 52.

Quod si de triumpho agi non oporteret, positis statim imperatoris insignibus, privatus urbem inibat.

Postremum illud erat, ut quas rationes in provincia reliquerat, easdem totidem descriptas verbis ad aerarium deferret: id quod per eandem legem Iuliam fuerat cautum. (Cic. V Fam. 20.) Ad ipsum vero aerarium etiam ille *deferre in beneficiis* solebat eos suae procurationis administros, quos ob strenue navatam operam publico dignos beneficio iudicasset. Huc spectat is modo laudatae epistolae Tullianae locus: *Quod scribis de BENEFICIIS, scito a me et tribunos militares, et praefectos, et contubernales dumtaxat meos DELATOS esse.*

---

etiam in voculas malevolorum. Ac pro Ligar. 3. ut ostenderet quanta in se Caesar victor liberalitate fuisset, haec profert: *Qui ad me ex AEgypto literas misit, ut essem idem, qui fuissem: qui cum ipse imperator in toto imperio populi Romani unus esset, esse me alterum passus est: a quo . . . , concessos FASCES LAVREATOS tenui, quoad tenendos putavi.* Ab ea autem causa id totum fuit, quod cum e provincia revertisset Cicero, inque urbem civilibus armis turbatam ingressus non esset, imperii insignia, quae uno in moenia Romana introitu amittebantur, nondum ad id temporis posuerat: queis tum etiam postea ut libere arbitratuque suo uteretur, a Caesare iam ferme rerum arbitro permissum est.

§. XIII.

De Quaestoribus Provincialibus.

I. Quaestores, de quibus heic sermo est, fuere tum qui imperatores ad bellum sequebantur, tum qui cum proconsulibus, aut praetoribus in provincias exibant. Illorum prima mentio exstat apud Livium IV 43. cum refertur comprobatum a patribus, quod a consule relatum fuerat, *ut praeter duos urbanos quaestores, duo consulibus ad ministeria belli praesto essent.* Hanc autem rem licet mox ibidem subiiciatur omissam ob tribunorum postulationem fuisse, qui partem quaestorum fieri de plebe vellent; effectam tamen postea, ostendunt verba eiusdem scriptoris IV 54. Quibus quatuor quaestores creati dicuntur, duo procul dubio ad munia urbana, reliqui ad bellica ministeria.

Iam porro in provincias, ad quas regendas proconsules et praetores, singuli simul quaestores mittebantur. Vnius Siciliae peculiaris in hoc conditio fuit: ubi cum unus de communi more praeesset praetor, duo tamen aderant quaestores, Lilybaei alter, alter Syracusis; quippe quod ea insula, quod ad Romanam ditionem attinebat, in duas provincias divideretur: cuius tamen divisionis ratio in quaestorum tantum, non autem praetorum, geminatione servata est. Hinc Cicero II in Verr. 4. *Quaestores*, inquit, *VTRIVSQVE PROVINCIAE, qui isto praetore fuerant, cum fascibus mihi praesto fuerunt.*

Ad haec itaque universa provincialia munera explenda cum in singulos annos eo numero quaestores comitiis renuntiarentur, ex quo et urbani, et

provinciales possent exsistere; postquam omnes designati fuerant: iubebat inde senatus eos sortiri, quinam in urbe curam aerarii gererent, quique in provincias proficiscerentur.

II. Horum autem fuit, pecuniam sibi ex aerario attributam tueri, ex eaque stipendium et annonam exercitui suppeditare: captam bello praedam vendere, et, quod inde rediret, cogere in aerarium: rationes etiam accepti, expensique, ad aerarium suo tempore referendas, conficere. Ad haec vero iurisdictionem nonnunquam eos, mandantibus praesidibus, exercuisse exploratum est. Sed et ubi hi ante successorum adventum e provinciis decederent, illis interea omnem administrationem committi solitam fuisse dictum iam est p. 153.

III. Praesto eisdem erant tum Lictores cum Fascibvs, tum Scribae, illi ad auctoritatem comparandam, hi ab rationes conscribendas. De alteris loquitur Cicero pro Planc. 51. cum ait: *Simul ac me Dyrrachium attigisse audivit* (Plancius in provincia quaestor), *statim ad me, Lictoribus dimissis, insignibus abiectis, veste mutata, profectus est*. Alteros vero memorat idem orator III in Verr. 78.

IV. Iam si quaestor, non exspectato successore, de provincia decessisset, vel ibi suum obiisset diem, tum qui ab ipso Praeside in eius sufficiebatur locum, Pro Qvaestore vocabatur. Vide quam ad hoc recte quadrent dicta Tullii I in Verr. 36. *C. Malleolo quaestore Cn. Dolabellae occiso . . . statim* (Verres) *Pro Quaestore iussus est esse*. Huiusmodi autem quaestoriae procurationis vicarii nullo modo, quod per se patet, magistratus erant.

Ab his vero alii prorsus fuerunt Proqvaestores, quos in exercitu consulari aliquando saltem, si mi-

nus semper, fuisse indicat Tullius I in Verr. 14. dum rationes a Verre exercitus quaestore ita relatas tradit: *Accepi vicies ducenta triginta quinque millia, quadringentos, XVII nummos. Dedi stipendio, frumento, legatis, Proquaestoribus, cohorti praetoriae H. S. mille sexcenta triginta quinque millia, quadringentos, XVII nummos.* Hos sane praetorii muneris administros, a magistratuum genere penitus diversos, certum est non fuisse suffragiis populi creatos; sed aut a senatu datos, aut ab ipso quaestore allectos, credibile admodum videtur.

CAPVT VI.

De Magistratuum Ministris.

NE quid eorum, quae ad universam magistratuum rationem pertinuere, taciti praetereamus, nonnulla heic de ipsorum MINISTRIS, qui scilicet ad eorum iussa exsequenda praesto aderant, attexemus. Hi autem fuere SCRIBAE, ACCENSI, INTERPRETES, PRAECONES, LICTORES, VIATORES, SERVI PVBLICI, et CARNIFEX. Qui iam per nos raptim singuli producentur.

Scribae

E reliquis fere honoratiores gravioresque sunt habiti, quippe cum *eorum fidei*, ut loquitur Cicero III in Verr. 79. *tabulae publicae, periculaque* (i. e. tabellae (59) sive acta) *magistratuum*

---

(59) Eiecta iamdiu ab eruditis fuit, tanquam minus idonea, sententia illa, qua ferebatur, *pericula* hoc loco non alia, quam vulgata significatione, esse accipienda; neque alia porro de causa appositam hanc vocem a Tullio fuisse, nisi quod a tabulis publicis, quas ante nominaverat, creari pericula possent magistratibus.

Rursus vero recepta passim opinio est, qua creditur, per id vocabulum *tabellas*, sive *libellos*, ad summam *acta* magistratuum designari. Hac sane notione meritissimo credere fas est usurpatam quoque eam vocem a Cornelio Nepote in vit. Epaminondae 8 ubi ita narratur: *Neque recusavit, quo minus legis poenam subiret; sed unum ab iis petivit, ut in PERICVLO suo inscriberent: EPAMINONDAS A THEBANIS MORTE MVLTATVS EST, QVOD EOS COEGIT APVD LEVCTRA SVPERARE LACEDAEMONIOS*, etc. Quo in loco *periculum* idem esse, ac *tabellam damnatoriam*, complures docti viri, in primisque Iacobus Cuiacius totius sententiae auctor, scitissime docuerunt. Nam quod alii ex eruditorum item numero sibi persuaserunt, sepulcralem heic potius titulum denotari, non tam recte stare videtur; neque enim verisimile fit, adeo ducem illum Thebanum effrontem fuisse, ut peteret, sibi, postquam damnatus, extremoque supplicio affectus esset, monumentum publice poneretur.

Huc praeterea confer locum Capitolini in vit. Anton. Philos. sic habentem: *Habuit secum praefectos, quorum et auctoritate, et PERICVLO semper iura dictavit.* Nimirum ille (prout bene admodum explicavit Casaubonus) praefectorum quos secum habuisse dicitur, non consilium modo, sed formulam etiam si-

committerentur. Re enim vera ipsorum erat, ita magistratibus apparere, ut publicas rationes, leges, et acta, res quidem omnes quam maximi momenti, in commentarios redigerent.

Hinc vero factum est, ut quoniam Scribarum munus in scriptura unice versabatur, illa praecipue formula *scriptum facere* ad eiusdem muneris functionem designandam fuerit adhibita. Ita Livius IX 46. *Invenio*, inquit, *in quibusdam annalibus, cum* (C. Flavius) *appareret aedilibus, fierique se pro tribu Aedilem videret, neque accipi nomen, quod SCRIPTVM FACERET, tabulam posuisse, et iurasse se SCRIPTVM non FACTVRVM.* Hoc ipsum porro refert Gellius VI 9. cuius verba, utpote locum Livii mirifice illustrantia, in ima ora apposuimus (60).

---

bi praescriptam in dictandis iuribus secutus est.

Ad rem denique mirifice congruit titulus ille Codicis l. 7. tit. 44. *de sententiis ex PERICVLO recitandis.* Est enim ibi *ex periculo recitare* idem, quod alibi redditur, *de scriptis*, aut *de scripti recitatione proferre*, necnon *ex libello dare.*

Certe, quidem, ut iam huiusce notionis causa adiiciatur, derivatum *periculum* fuit ab antiquo *periri*, quod erat *conari, tentare, discere.* Quare non immerito adhibita vox illa est pro experimento, documento, ac probatione alicuius rei, vel causae; tum vero etiam pro libello, cui quidpiam eiusmodi servandum concrederetur.

(60) Ita ibi laudatus auctor scripsit: *Cn. Flavius patre libertino natus SCRIPTVM FACIEBAT: isque eo tempore aedili curuli apparebat, quo tempore aediles subrogantur. Eumque primae tribus aedilem curulem renuntiaverunt. At aedilis, qui comitia habebat, negat accipere; neque sibi placere, qui SCRIPTVM FACERET, eum aedilem fieri. Cn. Flavius Annii filius dicitur tabulas posuisse, SCRIPTV se se abdicasse, Isque aedilis curulis factus est.*

Iam Scribae, cum ingentis essent multitudinis, in *Decurias* (nimirum in diversas veluti societates) *Quaestoriorum*, *AEdilitiorum*, *Praetoriorum*, distributi erant, pro magistratuum, queis deserviebant, diversitate. Quanquam autem in eiusmodi decurias ab ipsis magistratibus legi homines solerent, ut e reliquis Tullius in Cluentiana 45. significat; nonnulli tamen aliquando *decuriam emebant*, videlicet in earum aliquam adscribi per pecuniam curabant. (Cic. III in Verr. 79.)

Antequam hinc abeamus, non inutile erit monere, nonnunquam scribas etiam *notis* (i. e. signis quibusdam unam, pluresve simul voces indicantibus) uti consuevisse ad celerrime excipiendum, quidquid in concione, aut in iudiciis diceretur: quo scriptionis genere utentes, *Notarii* proprie nuncupati sunt. De his Martialis XIV 208.

Currant verba licet, manus est velocior illis:
Nondum lingua suum, dextra peregit opus.

Plura de tota hac re Lipsius Centur. I ad Belgas ep. 27.

ACCENSI

Non aliis, quam consulibus et praetoribus singuli apparebant. Ex eo autem suam sortiti sunt nomenclaturam, quod et populum ad concionem, et eos, qui ius poscebant, ad praetorem *accirent*. Sed et praeterea eorum partes erant, interpellatorum loquacitatem imposito silentio cohibere. Vnde pronum est intelligere, quod in non mediocris laudis loco posuit Cicero I ad Q. Fratrem, cum inquit: *His rebus nuper Cn. Octavius iucundissimus fuit, apud quem primus lictor quievit, TACVIT ACCENSVS: quoties quisque voluit dixit, et quam voluit diu.*

Ad haec quo tempore horologiorum usus non

adhuc (61) in urbem invectus erat, moris fuisse, ut Accensus diversas diei horas, scilicet tertiam,

---

(65) Quingentos propre annos horologiis Roma expers fuit. De qua re, deque simul nonnullis aliis ad id spectantibus audi Plinium ita loquentem. VII 60 *M. Varro primum* (horologium) *statutum in publico secundum Rostra in columna tradit bello Punico primo a M. Valerio Messala consule, Catina capta in Sicilia: deportatum inde . . . . anno urbis CCCCLXXXI, nec congruebant ad horas eius lineae: paruerunt tamen eis annis undecentum, donec Q. Marcius Philippus, qui cum L. Paullo fuit censor, diligentius ordinatum iuxta posuit: idque munus inter censoria opera gratissime acceptum est. Etiam tum tamen nubilo incertae fuere horae usque ad proximum lustrum. Tunc Scipio Nasica collega Laenatis primus aqua divisit horas aeque noctium ac dierum.*

Habes iam hinc, quo primum anno positum Solarium in Vrbe fuerit. Nam quod idem Plinius ibid. paullo prius e cuiusdam Fabii testimonio tradiderat, L. Papirium Cursorem triginta ante annis illud Romanis statuisse, id sane in incerto adeo reliquit, ut nullam ei prorsus fidem conciliaverit.

Horologiorum autem, quale Nasicae primum acceptum Roma retulit, quae aqua impellente horas distinguerent indicarentque, structuram omnem rationemque enucleate perscribit Vitruvius IX 9. Vbi etiam declarat, quo pacto in illis horarum spatia temporum varietati aptarentur, ut scilicet horae diurnae (quae quovis anni tempore duodenae ab ortu ad occasum solis numerabantur) celeriores tardioresve fierent, prout brevior longiorve dies esset. In quo tamen, ut omnia recte constarent, servari procul dubio et illud debuit (quod ratio ipsa opinari cogit) ut, nisi quando dies pares noctibus essent, primo quoque mane initium prioris horae ad ortum solis accommodaretur.

Cave tu vero existimes, quod nonnulli arbitrati sunt, eiusmodi horologia eadem ac clepsydras fuisse. Ad quas mox pauca spectantia in adnotatione 66 se tibi dabunt.

sextam, et nonam enuntiaret, patet ex Varrone V L. L. 9. atque ex Plinio VII 60. Huc sane pertinet versus veteris poëtae, quem idem Varro ibi in medium affert:

Ubi primum Accensus clamarit meridiem.

Quam quidem variam horarum rationem ipso solis itinere metiebantur. Cuius rei satis luculentum indicium dedit Plinius l. l. cum haec literis prodidit: *Duodecim tabulis ortus tantum et occasus nominantur: post aliquot annos adiectus est et meridies, Accenso consulum id pronuntiante, cum a curia inter Rostra et Graecostasin prospexisset solem.*

Interpretes

Ii dicti sunt, qui ad exterarum gentium interpretandam orationem adhibebantur. Eosdem ex Apparitorum genere fuisse declarat aperte Cic. XIII Fam. 54. cum inquit: *In longa APPARITIONE singularem et prope incredibilem patris Marcilii* (quem paullo ante interpretem suum dixerat) *fidem, abstinentiam, modestiamque cognovi.*

Praecones

Quos et *Praecias* apud Festum vocatos invenias, non immerito hoc donati sunt nomine, cum inter eorum munia non postremum id fuerit, ut multitudinem *praecierent*, idest *ante conventum cierent, sive excitarent populum, ut conveniret*, uti observavit Vossius.

Plura autem erant, quae ipsorum officii finibus continebantur; scilicet in auctionibus ad hastam stare, et oblata pretia evulgare: in comitiis partite vocare populum ad suffragia, eaque sigillatim pronuntiare: in legum lationibus publice eas recitare: in iudiciis reos, accusatores, testes citare: in funeribus homines ad cohonestandas exsequias

evocare : in sacris silentium indicere : atque huiuscemodi alia peragere, quae passim in antiquis historiis occurrunt.

Lictores

Diu fuit, cum a *ligando* appellationem sibi adscivisse crediti sunt, ob illud praecipue frequens in reos carmen: *I LICTOR, COLLIGA MANVS.* Sed tandem doctissimus Mazochius in Additam. ad Voss. Etymol. ab Hetruria id vocabulum (unde et Lictores ipsos) Romam devectum docuit; ac propterea ab Hebraea voce לקט *lakat* i.e. *colligere* derivatum; quae nimirum apud Hebraeos saepissime idem fuerit, ac *colligere ad perdendum.* Id vero mirum quantum Lictoribus quadrat, praesertim si ista etiam formula spectetur, quae est apud Livium XXVI 16. *I LICTOR, ADDE VIRGAS REO, ET IN EVM LEGE AGE.*

Praeter hoc autem noxios puniendi, et vel virgis, vel securi caedendi munus, tria alia Lictores obibant, quibus designandis tres illae addictae fuere voces, *Praeire*, *Animadvertere*, et *Submovere.*

Primum itaque illi gestantes laeva manu fasces sinistro humero inclinatos, suis praeibant magistratibus, et non gregatim quidem, nec terni, aut bini, sed singuli, ita ut qui reliquis omnibus anteibat; *primus lictor* diceretur, ut in loco Ciceronis paullo ante a nobis allato, cum de accensis ageremus, qui vero postremus minime omnium ab ipso aberat magistratu, *proximus.* Ita apud Livium XXIV 44. *Consul animadvertere PROXIMVM LICTOREM iussit; et is, ut descenderet ex equo, inclamavit.*

Atque hinc iam patet, quonam illa pertinuerit *Animadversio*, quod e lictoriis officiis alterum fuit,

ut scilicet qui magistratui occurrerent, ad observantiae significationem ex equo curruve desilirent, caput aperirent, semita cederent.

Denique turbam illi submovebant vel voce per hanc, similemve formulam: *DATE VIAM CONSVLI*; vel virga, quam manu gestabant. Hinc apud Livium XLV 29. lictor ipse *Submotor aditus* appellatur. Hinc etiam manavit scitum illud Horatii II Od. 16.

Non enim gazae, neque consularis
SVBMOVET lictor miseros tumultus
Mentis, et curas laqueata circum
Tecta volantes.

Id postremo de lictoria virga, de qua modo iniecta mentio, adiectum volumus, eam tum ad circumfusam multitudinem disiiciendam, tum etiam ad domorum, quas magistratus initurus esset, percutiendas ianuas usui fuisse. Quare a Livio VI 34. scribitur: *Forte ita incidit, ut . . . . . lictor Sulpitii* (tribuni militum consulari potestate) *cum is de foro se domum reciperet, FOREM, ut mos est, VIRGA PERCVTERET.*

Viatores.

Cur ita vocarentur, aperit Tullius de Senect. 16. his verbis: *A villa in senatum arcessebantur et Curius, et ceteri senes: ex quo qui eos arcessebant, VIATORES nominati sunt.*

Deinde vero dici hoc nomine consueverunt, qui aliquibus magistratibus vel ad vocandum, ut consulibus, vel ad prehendendum, ut tribunis plebis, apparebant. (Gell. XIII 12.)

Servi pvblici

Non Romae modo, sed et alibi passim, fuere, qui publicis ministeriis mancipabantur. Itaque, praeterquam quod et sacerdotibus, et universo populo famulabantur, tum vero in primis magistratuum, et sane omnium, imperiis praesto erant. Certe quidem de censoribus rem ita testatam reliquit Livius XLIII 18. *Censores . . . . . dimissis SERVIS PVBLICIS, negarunt se prius quidquam publici negotii gesturos, quam iudicium populi de se factum esset.* De aedilibus Varro apud Gellium XIII 13. *Nunc stipati SERVIS PVBLICIS . . . ultro submovent populum.* Quae vero alia exstant adhuc de aliis testimonia, omittimus.

Quod autem eiusmodi servi publici a lictoribus, ceterisque apparitoribus diversi omnino fuerint, liquido constat ex senatus consulto, quod recitat Frontinus in de Aquaeduct.

Carnifex

Damnatis cruci affigendis, strangulandisve unice addictus. De eo id maxime dicendum suppetit, habitare eum in urbe nequivisse, quoniam eius conspectu funestari civitas, et laedi quodammodo libertas populi credebatur. Qua de causa Cicero pro Rabir. 4. inquit: *Quamobrem uter nostrum tandem, Labiene, popularis est? tunc, qui civibus Romanis in concione ipsa carnificem, qui vincla adhiberi putas oportere . . . . an ego, qui funestari concionem contagione carnificis veto?*

CAPVT VII.

De Iudiciis.

PRo duplici privati publicique iuris ratione, duplicis quoque apud Romanos generis fuere Iudicia, *privata*, et *Publica*. Privatis ius quisque suum persequebatur: publicis crimina, quibus civitatis iura laeduntur, vindicabantur. De utrisque, a se invicem maxime discrepantibus, nos bipartito agemus.

Pars Prior.

De Iudiciis Privatis.

Iuris privatis in iudiciis dicundi potestas quorumnam Romae fuerit, satis superque ex annalium monumentis perceptum est. Nimirum primis temporibus reges ipsos privatorum controversiis dirimendis dedisse operam docet diserte Dionysius p. 627. Deinde id muneris suscepisse consules narratur ibid. Denique creato ad hoc praetore an. V. C. CCCLXXXIX rursus vero altero, qui inter cives ac peregrinos iudicaret (uti dictum p. 122. et seq.) tota iurisdictio transmissa in eos fuit.

Hi magistratus igitur reipublicae aevo iudiciis privatis praeerant. Qua vero ratione, quove or-

dine haec eadem peragerentur, id modo accuratius evolvendum est.

§. I.

De In Ius Vocatione.

Cum quis rem repetere animum induxisset suum, primum experiri solebat, num domi per amicos (quos *disceptatores domesticos* appellat Cicero pro Caecin. 2.) procul forensi strepitu negotium componi posset. Qua porro ratione profectum si nihil esset, poterat ille reum, ubi occurrisset, die postulationis in ius vocare: quod fiebat aliqua ex his formulis: IN IVS EAMVS: IN IVS VENI: IN IVS AMBVLA: SEQVERE AD TRIBVNAL. (Barn. Briss. de Form. p. 366.)

Id si reus abnueret, aliquem ex adstantibus actor, tacta ima eius auricula (quae memoriae credebatur sedes) *antestabatur*, testem scilicet advocabat: ac tum fas ei erat, illum etiam obtorto collo in ius abripere. Quod tamen etiam, postquam illata lis fuerat, aliquando factum indicat Flaccus I Sat. 9., ubi, cum de quodam loqueretur, qui iam vadimonium promiserat, postremo subdidit:

. . . . . Casu venit obvius illi
Adversarius, et, quo tu turpissime, magna
Inclamat voce, et LICET ANTESTARI?
Ego vero
OPPONO AVRICVLAM. RAPIT IN IVS.

Si autem reus domi se teneret, quoniam inde extrahi per vim nequibat, ut testatur Tullius pro Dom. 41. edicto praetoris ad eius aedes affixo citabatur. Et si quidem ter ille hac ratione per in-

tervalla vocatus non pareret, neque ab aliquo bono viro defenderetur, tunc praetor bona eius possideri vendique iubebat.

§. II.

De Actionis Editione, Et Postulationibus.

I. Quando qui vocatus in ius esset, venerat, tum primum omnium actor, facta ei a praetore dicendi copia *actionem edebat*, scilicet significabat, quo actionis genere uti vellet. Plures enim ex una causa exsistere solebant actiones, videlicet agendi rationes, quibus ius quisquam suum persequi posset: quarum edendarum aliquam formulam postea proferemus. At quaenam illarum deligeretur, petitoris arbitrium erat. Hinc Cicero pro Caecin. 3. *Praetor is*, inquit, *qui iudicia dat, nunquam petitori praestituit, qua actione illum uti velit.*

II. Exinde vero actor ipse *actionem postulabat*, ut nimirum per praetorem liceret sibi eam in adversarium intendere.

Tunc autem et reus *advocationem postulabat*, tempus scilicet convocandi amicos, qui sibi consilio operaque in re adessent. Ex hoc profectus iocus ille Tullii VII Fam. 11. *Quis tot interregnis iureconsultum desiderat? Ego omnibus, unde petitur, hoc consilii dederim, ut a singulis interregibus binas advocationes postulent*: cum enim interrex quinis modo diebus rempublicam administraret, spatio ad binas advocationes parandas postulato, fieret profecto, ut ante interregno finis, quam liti ullum initium daretur.

Iam ubi et petitor, et reus postulata impetrassent, dein ille hunc *vadabatur*; vades nimirum petebat, queis sibi caveretur eum certo die (plerumque perendino) se staturum: is vero *vadimonium promittebat.* Hinc emanat omne hoc eiusdem Tulli pro Quint. 6. *Ait . . . . se iam neque vadari amplius, neque vadimonium promittere. Si quid agere secum velit Quintius, non recusare. Hic cum rem Gallicanam cuperet revisere, hominem in praesentia non vadatur. Ita sine vadimonio disceditur.*

§. III.

De Intentione Actionis, Postulatione Iudicii, Et Satisdationibus.

Postquam praestituta dies advenerat, actor reusque iussu praetoris per accensum citabantur. E quibus si alteruter sine causa sontica adesse omisisset, causa cadebat: ac si quidem reus is esset, *vadimonium deseruisse* dicebatur. Quo respicit illud Horatii I Sat. 9.

> . . . . *Casu tunc respondere vadato*
> *Debebat; quod ni fecisset, perdere litem.*

Ea autem vadimonium deserenti proposita poena erat, ut actor in bona eius immitteretur. Adi Ciceronem pro Quint. 6.

I. Cum vero tum actor, tum reus se stitissent, tunc reus prior in hanc formulam loquebatur: VBI TV ES, QVI ME VADATVS ES? VBI TV ES, QVI ME CITASTI? ECCE EGO ME TIBI SISTO, TV CONTRA ET TE MIHI SISTE. Respondebat actor se se adesse. Dein iterum ille: QVID AIS? Tunc vero actor *actionem*, certa conceptam formula, *intendebat*, hoc e. g. pacto: AIO HANC HEREDI-

TATEM MEAM ESSE. Vbi id negasset reus, addebat ille: SPONDESNE QVINGENTOS, SI MEA SIT? Respondebat inficiator: SPONDEO SI TVA SIT. Tum vicissim ipse restipulabatur: TV VERO SPONDES ITEM, NI TVA SIT? Cui actor: ET EGO QVOQVE SPONDEO (62).

II. His peractis, postulabat petitor pro diversis causarum generibus vel *Iudicem*, vel *Arbitrum*, vel *Recuperatores*, vel *Centumviros*, qui causam cognoscerent, deciderentque: iique statim a praetore dabantur (63).

---

(62) Haec pecunia, quam ad pontificem depositam fuisse affirmat Varro IV L. L.36. dicta *Sacramentum* fuit. De quo Festus: *Sacramentum*, inquit, *aes significat, quod poenae nomine penditur, sive eo quis interrogatur,sive contendit. Id in aliis quinquaginta assium est, in aliis quingentorum inter eos, qui in iudicio inter se contenderent.* De vocabuli vero ratione ita mox idem auctor: *Sacramenti nomine id aes dici coeptum est, quod et propter aerarii inopiam, et sacrorum publicorum multitudinem consumebatur in rebus divinis.*

Quam autem pro sponsione summam definitam asserit Festus, ut modo quinquaginta, modo quingentorum assium esset, eam non his semper terminis fuisse conclusam, non temere colligas ex illo Tullii III Verr. 58. *Facta est sponsio H. S. V.* videlicet, ut ipse postea manifeste declarat, *sestertium quinque millium.* Vide, quam grandioris pecuniae sponsione certatum heic sit. Itaque non iniuria quis arbitretur, etsi quos sponsionum modulos indicavit Festus, usitatiores fortasse fuerint, saepe tamen eos ad litium rationem fuisse accommodatos.

(63) Qui ad iudicandum dabantur ex eorum numero erant, qui in indicum album praetoria auctoritate relati fuerant. Fuisse enim hanc legendorum iudicum potestatem penes praetores liquet a lege Cornelia, quam memorat Sigonius II de Iudic.6.ubi ita scriptum fuisse ait: *Praetores urbani, qui iuratos optimum*

Inter eos hoc discrimen intercessit. *Iudex* qui-

---

quemque in selectos iudices referre debent. Quod sane confirmat Gellius XIV 2. cum de se ipso dicat: *Quo primum tempore a praetoribus lectus in iudicem sum.*

Eos autem iudices, pro eo ac varia rei Romanae tempora tulerunt, allegere mos fuit ex ordine vel senatorio, vel equestri, vel utroque, vel simul etiam de plebe: de qua re indicavimus iam ante, quod satis esset, p. 72. Ac pro suorum ordinum diversitate erant illi quidem in diversas *Decurias* distributi, nimirum diversis in tabulis, et in peculiari quique seorsum albo descripti. Profecto stante republica tres ad summum fuere huiusmodi Decuriae, una senatorum, altera equitum, tertia tribunorum aerariorum: qui postremi e multitudine ad iudicandum delecti, ex eo hominum genere erant, quibus (ut affirmat Varro IV L. L. 36.) pecunia ex aerario attribuebatur, quam militi (utique in urbe manenti) persolverent: homines propterea probatae fidei, quali maxime ad exercenda iudicia opus esset.

Postremam hanc Decuriam sustulit Caesar: de quo Suetonius in eius vit. 41. *Iudicia*, inquit, *ad duo genera iudicum redegit, equestris ordinis, et senatorii. Tribunos aerarii, quod erat tertium, sustulit.* Quod ipsum referens Dio p. 359. in hanc sententiam loquitur: *Iudicia solis senatoribus atque equitibus permisit . . . . . prius enim nonnulli etiam de plebe* (profecto tribuni aerarii) *causas una cum illis cognoscebant.* Verum tertiam deinde decuriam ex centurionibus Antonius addidit: de qua sunt verba Tullii I Philipp. 8. *Promulgata est* (lex) *de tertia Decuria iudicum.* Tum paullo infra: *At quae est ista tertia Decuria? Centurionum, inquit.* Sed et quartam deinde *Ducenariorum* adiecit Augustus, eorum videlicet, quibus ducena millia H. S. census esset. (Suet. in Aug. 32.) Quintam denique apposuit Caligula, teste eodem scriptore in eius vit. 16. Hinc in Inscriptione apud Reines. Cl. VI n. 16. legitur.

L. CLODIO G. F. SERG. VITELLINO II. Vir. I. D. IVDIC. EX. V. DEC. EQVO. PVBL.

dem iis causis praeficiebatur, quae essent, ut dicitur, stricti iuris: isque ita ex formula normaque sibi a praetore praefinita agere debebat, ut ab ea nullo modo posset abscedere. Exemplo id esto: Si Titius H. S. IↃↃↃ sibi a Fulvio deberi apud praetorem contendit, inque eam rem iudicem postulavit, praetor dato iudice ita pronuntiavit: SI APPARET H. S. IↃↃↃ A FVLVIO DARI OPORTERE TITIO, EVM TANTAE PECVNIAE CONDEMNATO. Iudicis tunc igitur munus hoc unice fuit, decernere, deberentur ne Titio a Fulvio, necne, H. S. IↃↃↃ ita ut nisi petitor probasset, totam eam summam ad assem sibi deberi, causam perderet. (Cic. pro Rosc. Com. 4.)

Arbitro autem, nulla praetoria praescriptione adstricto, permittebatur, ut pro eo ac bonum aequumque videretur, de re statueret; quippe cum ei committerentur causae *bonae fidei* dictae, in quibus non summum ius, sed aequitas spectari deberet. Hinc Cicero ibid. *Quid est*, inquit, *in arbitrio?* (i. e. iudicio arbitri) *mite*, *moderatum*, *QVANTVM AEQVIVS MELIVS, ID DARI.* Itaque ibi petitor si non totum, quod postulaverat, at partem certe poterat obtinere. Quod ita eodem Tullii loco aperitur: *Ad arbitrium hoc modo adimus*, *ut neque nihil*, *neque tantum*, *quantum postulavimus*, *consequamur.*

Ad *Recuperatores* porro controversiae de facto, atque iniuriarum aestimatio pertinuerunt. Hinc apud Livium XXVI 48. *Scipio tres Recuperatores cum se daturum pronuntiasset*, *qui*, *cognita causa*, *testibusque auditis*, *iudicarent*, *uter prior in oppidum transcendisset*, *C. Laelio*, *et M. Sempronio advocatis partis utriusque P. Cornelium Caudinum de medio adiecit.* Adhaec Gellius XX 1. *Praetores*, inquit . . . *iniuriis aestimandis Recupera-*

tores se daturos edixerunt. Ex quo utroque loco declarata satis Recuperatorum exhibentur munia.

Centumvirorum certe quaedam erant causae, ut tutelarum, usucapionum, testamentorum, aliarumque rerum, quas enumerat Cicero I de Orat. 38. Erant hi autem centum et quinque iudices e singulis XXXV tribubus terni delecti; qui, iubente praetore, una coacti causas ad se pertinentes cognoscebant. Verum de his nonnulla alia, quae huc nihil conducant, in ima ora apponentur (64).

---

(64) AEtate imperium Augusti consecuta aucti Centumviri ad centum octoginta fuerunt. Quare de ipsis Plinius VI Epist. 33. *Sedebant*, inquit, *iudices centum et octoginta; tot enim quatuor consiliis conscribuntur: ingens utrinque advocatio, et numerosa subsellia: praeterea densa circumstantium corona latissimum iudicium multiplici circulo ambibat.* E quibus verbis illud etiam discitur, in quatuor consilia tam ingentem iudicum multitudinem fuisse divisam. Quo spectat locus Valerii Max. VII 7. 1. *Cum improbissimis heredibus de paternis bonis apud Centumviros contendit; omnibusque non solum Consiliis, sed etiam sententiis superior discessit.*

Quatuor autem illa consilia ita erant hinc, et illinc disposita, ut praetor in medio utrorumque sedens duo ad dexteram, totidemque ad sinistram locata haberet. Vtrique autem parti suam praefigi hastam consuevisse satis aperte indicat Quintilianus V 2. ubi inter reliqua praeiudicia, quae ad causam conducant, hoc etiam numerat: *Si de eadem causa pronuntiatum est, ut . . . in partibus Centumviralium, quae in DVAS HASTAS divisae sunt.* Quibus sane dictis id omnino velle videtur, cum altera Centumvirorum *hasta*, sive pars sententiam tulisset, id maximo futurum causae praesidio, ne altera pars, si quando eandem causam accuratius recognosceret, aliter, ac prior illa, iudicaret. Certe enim ita fieri solebat, ut causis levioribus, non uti gravioribus omnia, sed bina tan-

Satis hactenus de variis iudicum generibus dictum est. Sed illud praeterea proderit animadvertere, iudices (praeter centumviros) a praetore datos ab utroque litigatore probari debuisse. Quod cum fieret, *convenire* illi dicebantur. Quare Cicero pro Cluent. 43. *Neminem*, inquit, *voluerunt maiores nostri non modo de existimatione cuiusquam, sed ne pecuniaria quidem de re minima esse iudicem, nisi qui inter adversarios CONVENISSET.* Improbandi autem formula ea ferme erat: Hvnc eivro, iniqvvs est. Atque hinc illud eiusdem Tullii III Verr. 60. *Scandilius postulare de conventu recuperatores. Tum iste negat se de existimatione sua cuiquam, nisi suis, commissurum. Negotiatores putant esse turpe id forum sibi INIQVVM EIVRARE, ubi negotientur. Praetor provinciam suam totam sibi INIQVAM EIVRAT.*

III. Iam postquam qui rem iudicaturus esset, datus a praetore fuerat, ad satisdationes illico gradus fiebat.

Itaque reus satisdare debebat *iudicatum solvi.* Hoc pacto apud Tullium pro Quint. 8. *A. Cn. Dolabella praetore postulat, ut sibi Quintius IVDICATVM SOLVI SATISDET.*

Actoris vero procurator, quando pro illo is ageret, satisdare cogebatur *ratum haberi*; quaecunque scilicet acta forent, rata habiturum eum, cuius ipse negotium gerebat.

---

tum consilia adhiberentur. Ex quo etiam facile fuisse noscitur hoc aliud, quod traditum occurrit, ut duae causae uno eodemque tempore apud bina Consilia agitarentur. (Plin. XI Epist. 14.)

§. IV.

De Forma Iudicii.

Quae ad id usque loci commemorata sunt, ea sane omnia in *Iure*, videlicet apud praetorem, fiebant. Videnda nunc supersunt, quae in *Iudicio*, nimirum apud iudices, agebantur. Heic autem fac scias, quae mox de Iudice proferentur, eadem et de Arbitro, sed vero etiam (si modo unum, quod mox patebit, excipias) de Recuperatoribus esse intelligenda.

I. Iudex a praetore datus, postquam in locum iudicii, in forum scilicet, comitiumque ad dictam diem venerat, iam iam causam cogniturus in subsellio sedebat (65). Is, utpote solus, ne in iudicando erraret, duos, aut tres iurisconsultos amicos habere secum solebat, qui et ipsi in subselliis sedentes sibi adessent, de quorum dein ille consilio sententiam ferret. (Gell. XII 13.) Hinc Tullius pro Quint. 6. ubi iudicem alloquitur, ut ne assessores tacitos praeteriret, in hunc modum inquit: *Obsecro, C. Aquilli, vosque, QVI ADESTIS IN CONSILIO, ut diligenter attendatis.* Id vero hominum genus, qui assiderent, necesse recuperatoribus non fuisse, quippe qui se invicem consilio iuvare possent, facile noscitur.

---

(65) Nonnunquam etiam astante iudicatum: at in causis tamen, quod credere par est, sane quam levibus. Itaque Cicero in Brut. 84. *Si*, inquit, *anguste, et exiliter dicere est Atticorum, sint sane Attici: sed in comitium veniant, ad STANTEM IVDICEM dicant. Subsellia grandiorem, et pleniorem vocem desiderant.*

II. Iam si, cum venisset iudex, alter litigatorum, non excusato morbo, abesset, tunc instante adversario per edictum a praetore citabatur. Ac si quidem ille non pareret, alterum, ac tertium per intervalla edebantur edicta, donec veniretur ad *peremptorium*, ita dictum, *quod perimeret disceptationem, hoc est, ultra non pateretur adversarium tergiversari. In peremptorio enim comminatur is, qui edictum dedit, etiam absente diversa parte cogniturum se, et pronuntiaturum*; ut dicitur l. 68. D. de iudic. Nonnunquam vero, quod ibidem legitur, non tot adhibita edicta sunt; sed vel tribus, vel duobus, vel etiam uno statim peremptorio, prout ei qui ius diceret videbatur, peracta res est.

III. Cum autem ambo litigatores adessent, primum omnium iudex iurabat, fore se ad legis normam iudicaturum.

Tum ipsi actor reusque cogebantur iussu iudicis *iurare calumniam*, quo se ad ineundam litem una veritatis causa adduci profiterentur. Exinde, antequam causa ageretur (si fides habeatur Asconio sic narranti ad I Verr. 9.) *quasi per indicem rem exponebant. Quod ipsum dicebatur CAVSAE CONIECTIO, quasi causae suae in breve coactio.*

IV. His actis, patroni causam agere instituebant. Ne autem eorum orationes nimium evagarentur, solebat (more per Pompeii legem invecto) libera dicendi licentia certo tempore clepsydra menso coërceri. Non tamen, cum ad clepsydram (66)

---

(66) Clepsydrae eiusdem erant generis, cuius apud nos sunt horologia arenaria, nisi quod efficiebat in illis aqua, quod in his praestat arenula. Eas propterea *Mensuras ex aqua* vocat Caesar V Bell. Gall. 13. dum sic narrat: *Nos nihil de eo percontationibus reperieba-*

dicerent, eadem omnibus spatia sunt praefinita, sed singuli maior minorve clepsydrarum numerus pro iudicum arbitrio concessus. Mirifice rem hanc ostendit locus is Plinii II Epist. 21. *Dixi horis paene quinque. Nam decem clepsydris, quas spatiosissimas acceperam, sunt additae quatuor.* Vnde et illud apparet, non unum omnium fuisse clepsydrarum modulum.

Inter haec autem et audiebantur testes, et producebantur tabulae, e quibus rerum veritas iudici nota fieret.

V. Iam quae apud iudices, arbitros, ac recuperatores, eadem ferme apud centumviros servata est iudicii ratio: nisi quod his in tribunali (et quidem, indicante Plinio V. epist. 21. in Basilica plerumque Iulia, postquam extructa haec fuit) iudicantibus et praeerat praetor ipse, et aderant decemviri; quorum proprium erat testimonia excipere, ac tabulas observare, ut dictum p. 139.

§. V.

De Exitu Iudicii.

I. Post peroratam utrinque causam, sententiam statim dici rerum ordo iubebat, quam ante solis

---

mus, nisi certis EXAQVA MENSVRIS breviores esse noctes, quam in continenti, videbamus.

Singularis earum in castris ad metiendas vigilias usus fuit. De qua re Vegetius III 8. scripsit: *In quatuor partes ad Clepsydram sunt divisae vigiliae, ut non amplius quam tribus horis nocturnis necesse sit vigilare.* Et quoniam vigiliarum spatia pro noctium varietate vel longiora, vel breviora fuerunt; idcirco clepsydrae etiam diverso modulo essent oportuit.

occasum ferri necesse erat ex illo legis praescripto, quod alibi recitavimus : SOL OCCASVS SVPREMA TEMPESTAS ESTO. (Gell. XVII 2.)

Attendendum autem illud heic primum est, si causa obscurior esset, et iudici non bene intellecta, eum tunc pronuntiasse, *Non liquere.* Ita Gellius XIV 2. de semet ipso iudicis a praetore dati partes agente : *Vt absolverem*, inquit, *inducere in animum non quivi*, *et propterea iuravi mihi NON LIQVERE*. In qua profecto ambage causam iterum cognosci necesse erat.

Quod si omnia liquerent, sententiam demum ferebat iudex : qua prolata, iudicio finis imponebatur, et ita sane, ut nulla ad iudicem remeandi potestas esset. Ex qua re illud loquendi genus *ACTVM EST*, in summa rerum desperatione usurpari solitum, originem duxisse observavit Donatus in Terr. Andr. III 1. cum inquit : *Haec res secundum ius civile dicitur: in quo cavetur, ne quis rem actam apud iudices repetat.*

II. Quod cum verissimum sit, erant tamen adhuc nonnulla, quae damnato reo suffragari possent, scilicet *Appellatio*, *Restitutio in integrum*, et *Iudicium calumniae.*

Primum itaque fas illi erat a iudice ad magistratum appellare. (L. 3. D. quis, et a quo appell.) Eius autem, ad quem appellabatur, erat videre, utrum iusta, an non, esset appellationis causa, et quid de reddito iudicio sentiendum. Verum a centumviris nullam fuisse provocationem pro certo habetur: siquidem illi, utpote ex universis tribubus delecti, quoddam veluti totius populi (cuius potestate maior ulla non erat) consilium repraesentabant.

Restitutionis porro *in integrum* ea ratio fuit, ut a praetore fieret reo retractandae causae pote-

stas, ubi is probasset se sive metu, sive calliditate, sive alio pacto fuisse ab adversario circumventum. (L. I. D. de in integr. restitut.)

Iudicium denique *calumniae* intendi in actorem poterat, qui reum per calumniam in ius vocasset. Ad quam culpam vindicandam ea constituta poena erat, ut in impensas ille damnaretur. (L. 79. D. de iudic.)

III. Quod si nihil esset, quo reus se tueretur, debebat *iudicatum facere*; idque, si quidem pecunia reddenda foret, intra triginta dies, per quos scilicet conquiri illa posset, si minus praesto esset. (Gell. XX 1.) Quod ni fecisset, iterum ad praetorem vocatus, ab hoc addicebatur creditori: qui vinctum privato in carcere detinebat, usque dum aut opera, aut pecunia satis sibi factum per illum esset. Ad id totum unice spectat, quod profertur a Cicerone pro Flac. 20. *Recuperatores contra istum rem minime dubiam prima actione iudicaverunt. Cum IVDICATVM NON FACERET, ADDICTVS Hermippo, et ab hoc DVCTVS EST* (67).

Hactenvs autem de Iudiciis privatis. Ad publica nunc sermonem convertamus.

---

(67) Huius generis homines in servitutem ad tempus dati, peculiari vocabulo *Nexi* sunt dicti. Itaque scripsit Varro VI L. L. 3. *Liber, qui suas operas in servitute pro pecunia dabat, dum solveret, NEXVS vocabatur.* Iidem *Nexu vincti* etiam vocati. Quare apud Livium II 23. *NEXV VINCTI, solutique se undique in publicum proripiunt.*

PARS ALTERA.

De Iudiciis Publicis.

Non immerito publica iudicia dicta ea sunt, quibus quaestio de criminibus instituebatur, quippe cum ad publica vindicanda iura essent comparata: unde et factum, ut in eo iudiciorum genere cuilibet accusatoris partes agere fas esset.

Iis autem exercendis reges ipsos antiquitus vacasse; inde satis colligi potest, quod Romulus, teste Dionysio p. 87. in reliqua per regem obeunda munia id retulerit, ut levioribus delictis patrum disquisitioni permissis, graviora per se ipse cognosceret. Et certe Livius I 49. Tarquinium Superbum narrat *cognitiones capitalium rerum sine consiliis per se solum exercuisse.* Quod et superioris aetatis alios factitasse credibile est.

Post reges vero eiusmodi ratio illata est, ut quoties quaestio de aliquo facinore habenda esset, quaesitores parricidii (de quibus actum p. 147.) ad hoc fungendum munus suffragiis populi, nonnunquam autem senatus consulto, crearentur. Exempla praesto sunt apud Livium IV 51. IX. 26. et alibi.

Id vero instituti genus obtinuit usque dum constitutae sunt quaestiones perpetuae; quarum mentionem fecimus p. 123. et seq. Tunc enim, cum renuntiarentur in singulos annos praetores, qui iisdem praeessent, stabili per eos illae perpetuoque ordine exercebantur.

Verum etiam post haec statuta, ad dicendos

quaestores, ut antea, ventum aliquando est, cum novum scilicet aliquod crimen delatum foret, quod ad consuetarum quaestionum rationem attinere non videretur. Ita in causa Milonis, tanquam ob atrocitatem facinoris vix commune quidquam cum aliis habente, creatus suffragiis populi fuit ad iudicium exercendum L. Domitius Ahenobarbus vir consularis; ut patet ex Milonianae Argumento, quod enarrat Asconius.

§. I.

De Criminibus.

Postquam expensum est, quinam iudiciis publicis praefuerint, non abs re erit pauca statim de criminibus, circa quae versata illa sunt, expedire; at de iis solummodo, quae aliquid animadversione dignius prae se ferant.

I. *Repetundarum* crimen magistratuum provincialium fuit, qui sociorum facultates diripuissent; sed vero etiam magistratuum urbanorum, atque iudicum, qui suarum curationum, aut iudiciorum causa pecuniam a civibus accepissent. Unde iam noscas licet rationem nominis, ex eo facti, quod pecuniae per iniuriam acceptae, forent *repetendae*.

Huius autem generis causae olim privatis iudiciis agebantur. Ita apud Livium XLIII 2. *L. Canuleio praetori, qui Hispaniam sortitus erat, negotium datum est, ut in singulos, a quibus Hispani PECVNIAS PETERENT, quinos RECVPERATORES ex ordine senatorio daret.*

Postea vero ad coercendam firmiore repagulo avaritiam, in capitalia crimina relatum id etiam

fuit, et publicis iudiciis quaeri de eo coeptum.

II. Iam porro pecuniae publicae furtum *Peculatus* fuit: quo crimine, facta proferendo, Verrem accusat Cicero I Verr. 4. Iudicii autem de eo flagitio (cum non adhuc constitutae essent quaestiones perpetuae) per quaesitorem redditi exemplum proponit Livius XXXVIII 54. ubi significat Scipionem damnatum, quod multo maiorem pecuniam ab Antiocho, quo commodior pax ei daretur, accepisset, quam in aerarium retulisset.

Verum deinde, quemadmodum repetundarum, ita et Peculatus quaestioni suus fuit attributus praetor.

III. Praeterea de *Ambitu* rei erant, qui ut honores assequerentur, nimis impense petendo rogandoque *ambibant*, et maxime largitionibus populi favorem captare connitebantur; quique in primis ad emenda suffragia *sequestribus*, qui rem conficerent, ac *divisoribus*, qui pecuniam distribuerent, utebantur.

Ad id autem genus pertinuit quoque *Sodalitium*, in eo positum, ut tribules ad corrumpenda suffragia conscriberentur: quod propterea cum vim etiam factionibus paratam contineret, non paullo gravius habebatur.

IV. *Maiestatis* crimen dictum id fuit, quo quis maiestatem populi imminueret: cuiusmodi praeter alia erat, magistratui suum munus fungenti obsistere; seditionem in exercitu excitare; duces hostium accepta pecunia liberare; aut eosdem domi suae servare incolumes: quae duo postrema crimini dat Verri Cicero I Verr. 5.

Ab hoc autem longe diversum erat *Perduellionis* crimen, eorum proprium, qui libertatem civium oppugnassent, remque publicam hostili animo laesissent. (Cic. ibid.) Proinde iudicium de

his ausibus, quibus summa rerum appetebatur, semper unius populi fuit, prout declaratum in de Comitiis est p. 99.

V. Crimen *Falsi* admisisse dicebantur illi, qui aliqua fraude testamenta, aliasve cuiusvis generis tabulas, aut pecuniam depravassent. Hinc Cicero I Verr. 42. legem Corneliam contra id maleficii genus latam (quales aliae plures exstiterunt) a re ipsa *testamentariam*, *nummariam* appellavit.

VI. *Parricidae* dicti olim fuerunt, quolibet capitali crimine obstricti. Quare apud Festum (voc. *Parici quaestores*) haec lex occurrit, ab ipso quidem Numae, a Plutarcho autem Romulo attributa: *SIQVIS HOMINEM LIBERVM DOLO SCIENS MORTI DVIT, PARRICIDA ESTO.* Et apud Tullium II de Legg. 11. *SACRVM, SACROVE COMMENDATVM QVI CLEPSERIT RAPSITQVE, PARRICIDA ESTO.*

Singularis vero quaestio de *Parricidis* proprie ad parentum interfectores pertinuit. Quam deinde lege sua Pompeius ad aliorum plurium, quos declaravit, vel cognatione, vel affinitate iunctorum interemptores protulit.

VII. A parricidiis seiungendi non sunt *Sicarii*, et *Venefici*, quos simul omnes una lex Cornelia comprehendit. Ex his certe alteri fuerunt, tum qui hominem occiderant, tum qui sicam aliudve telum parato ad caedem animo gestaverant. Alteri vero erant, non solum qui veneno aliquem peremerant, sed etiam qui illud fecerant, vendiderant, emerant, habuerant, dederant, quae universa ex memorata modo Cornelia lege profert Cicero pro Cluent. 54.

VIII. De *Vi* denique rei habebantur, qui in rempublicam coniurasset: qui arma domi, aut in

villa, praeterquam ad venationis, aut itineris usum, collecta habuissent; qui possessorem armata manu e fundo eiecissent; aut quid simile perpetrassent.

§. II.

De Iudiciorum Publicorum Ordine.

Dicendum iam est, quo pacto iudicia publica ordinarentur. Qua in re ita agemus, ut ea collectim omnia in hunc locum conferamus, quaecunque ab ipsa in ius vocatione ad sententiae usque lationem agebantur.

I. Primum quidem omnium qui aliquem facere reum vellet, in ius vocabat. De quo nihil heic animadverti opus est, cum satis in de Iudiciis privatis huiusce rei ratio expressa sit, quae eadem plane in publicis obtinuit.

II. Vbi vero in ius ventum erat, postulabat ille a praetore, ut sibi *deferendi nominis* potestas fieret: Hoc pacto apud Tullium Divinat. 20. *Nuper cum in P. Gabinium . . . . L. Piso DELATIONEM NOMINIS POSTVLARET*, etc. Quod si duo, pluresve (quod non insolens fuit) eiusdem nominis delationem sibi deposcerent, tune instituendum ante iudicium erat, cuinam potissimum daretur. Quod iudicii genus *Divinatio* dicebatur, ea, uti videtur, de causa, quam affert Asconius Praefat. in Divinat. Cic. *quia non de facto quaerebatur, sed de futuro, uter deberet accusare*; ita ut quasi divinandum iudicibus esset, quis illorum foret maiore fide, diligentia, consilio causam acturus. Ex hoc autem iudicio illud consequebatur, ut uni deferendi munus tribueretur,

ceteri porro, si vellent, subscriptores essent, qui scilicet, pro ipsorum minore, vel maiore numero, secundas, tertias, quartas in accusatione agerent partes. Atque hinc certe est illud Tullii Divinat. 15. *Quartum* (accusatorem) *quem sit habiturus non video, nisi quem forte ex illo grege moratorum, qui SVBSCRIPTIONEM sibi POSTVLARVNT, cuicunque vos DELATIONEM DEDISSETIS.*

III. Is porro, cui facta deferendi copia fuerat, postquam praestituta die venerat ad praetorem, praesente adversario, *eiurata* prius *calumnia* (uti declaratum in de Iudic. privat. p. 176.) nomen eius deferebat. Certe autem quaedam erant formulae, quibus delatio fieret: qualis ferme haec de repetundis, quam Cicero Divin. in Verr. 5. nomine universae Siciliae ita oratorio more profert: *QVOD AVRI, QVOD ARGENTI, QVOD ORNAMENTORVM IN MEIS VRBIBVS, SEDIBVS, DELVBRIS FVIT; QVOD IN VNAQVAQVE RE BENEFICIO SENATVS POPVLIQVE ROMANI IVRIS HABVI, ID MIHI TV, C. VERRES, ERIPVISTI ATQVE ABSTVLISTI. QVO NOMINE ABS TE SESTERTIVM MILLIES EX LEGE REPETO.*

Tum si ille, in quem accusatio instituta erat, silentio, aut confessione sese obiecti criminis reum prodidisset, illico in causis seu repetundarum, seu peculatus *lis aestimabatur*; in aliis autem *repetebatur poena*. At si inficiatione, aut alio quovis pacto a se crimen repulisset, tunc *nomen* a praetore *recipiebatur*.

Deinde edicebat praetor diem, quo accusator reusque adesse deberent; qui dies ferme decimus aut tricesimus esse solebat. Atque hinc perspicitur,

quid sibi velint dicta illa Tullii in Vatinium 15. *Quaero illud etiam ex te . . . . edixeritne C. Memmius praetor ex ea lege, ut ADESSES DIE TRIGESIMO?* Verum in criminibus repetundarum ad longius plerumque tempus extracta res est, ut esset inquirendi spatium per provinciam. Ita in causa Verris centum et decem dies postulavit Cicero, per quos instruere accusationem posset. (Ascon. in Arg. Act. I in Verr.)

IV. Per id autem temporis obsoletam vestem induebat reus, barbam capillumque promittebat; quae ad misericordiam ciendam, conciliandosque suffragatores erant unice comparata. Atque eius certe miserabilis habitus vel uno conspectu commotos non raro hominum animos plura exempla demonstrant. Ita apud Livium VI 20. *Commota plebs est, utique postquam SORDIDATVM REVM viderunt.*

Nec reus tantum, sed et eius cognati, affines, amici mutata veste sordidati prodibant. Quocirca Tullius post red. ad Quirit. 3. de eo tempore loquens, quo (ob legem in eos, qui cives Romanos indemnatos peremissent, iam iam a Clodio ferendam) se tanquam reum immaturo consilio agere coeperat: *Pro me praesente*, inquit, *senatus, hominumque praeterea viginti millia VESTEM MVTAVERVNT.*

Adhaec reus Patronos, ac Laudatores sibi parare satagebat. E quibus quidem illos, quorum erat causam agere, quaternos olim, at post bella civilia usque ad legem Iuliam (de cuius tamen praescripto nihil liquet) duodenos adhiberi potuisse, auctor est Asconius Argum. in orat. pro Scauro. Laudatores vero, qui viri erant maxima auctoritate, ad rei vitam laudandam accommodati, decem de more concessos esse significat locus Tul-

lii V Verr. 22. *In iudiciis qui DECEM LAVDATORES dare non potest, honestius est nullum dare, quam illum quasi legitimum numerum consuetudinis non explere.* De hoc autem laudationum genere mentionem non raro faciunt scriptores.

V. Iam porro ad dictam diem citabantur praetoris iussu per praeconem accusator, et reus. Qua in re id moris servatum est, ut si accusator non adesset, reus e reorum numero tolleretur. Quapropter Cicero II Verr. 40. *Omnis*, inquit, *illa mea festinatio fuit . . . . ne tu EX REIS EXIMERERIS, si ego non affuissem ad diem.* At si abesset reus, neque excusatus esset, primum per cornicinem ad ipsius aedium fores accedentem classico evocabatur, ut scriptum reliquit Plutarchus in Gracchis: tum vero, si nec ita se stitisset, absens damnabatur.

Vbi autem ambo ad tribunal convenissent, praetor e iudicum numero eos sortiebatur, qui in praesenti causa forent iudicaturi. Ex iis vero, qui educti fuerant, poterat aliquot, qui minus idonei viderentur, tum reus, tum accusator reiicere: in quorum deinde locum alii sorte ducebantur, quo numerus, lege fortasse praescriptus, expleretur. Huiuscemodi sane reiectionis, ac subsortitionis meminit in primis Cicero Act. I in Verr. 6. et I Verr. 61.

Quos in iudicium sors delegerat, ii proeconis voce citabantur; et, nisi qui iustam excusationem attulissent, iurati (prout et in iudiciis privatis fieri solitum diximus) iam iam rem cognituri in subselliis assidebant. Eorum autem nomina, ex testimonio Asconii in Cic. Act. I in Verr. 6. libellis consignata et apud praetorem servabantur, et in vulgus emittebantur, ne pro selectis iudicibus per fraudem alii supponerentur. De hoc libello-

rum genere verba sunt eiusdem Tull. ibid. *Libelli nominum vestrorum, consiliique huius in manibus erant omnium.*

VI. Inde Accusationis initium fiebat, quae tum testimoniis, tabulis, quaestionibus, tum oratione ad crimen comprobandum exaggerandumque composita conficiebatur. Accusationem excipiebat vicissim Defensio rei, quam ita patroni adornabant, ut vel iure factum, quod crimini datum fuerat, contenderent; vel falso affictum ostenderent, idque maxime rationibus ab illius vita petitis: ad quod non minimi momenti erant laudatorum, quos antea memoravimus, officia, ac testimonia.

VII. Accusatione, ac defensione absoluta, extemplo sententiae latio sequebatur; nisi tamen lex, ex qua iudicium illud fiebat, *Comperendinationem* iuberet. Fuit haec quidem altera actio, quae plerumque *perendie*, unde sortita est nomen, instituebatur; at eo pacto, ut inverso ordine prior reus, posterior verba faceret accusator. De hac loquitur Cicero I Verr. 9. cum inquit: *Adimo COMPERENDINATVM, quod habet lex* (Cornelia, ex qua tunc agebatur) *molestissimum, BIS VT CAVSA DICATVR*: quo sane significatum id voluit, se, quod ad se ipsum attineret, liberare adversarium Comperendinationis onere ac molestia, quippe cum satis superque una actione contentus esset.

Quod autem ad sententiam ferendam pertinet, praetor datis tabellis (quales et in comitiis adhibitas fuisse scripsimus p. 102. et seq.) iudices *in consilium mittebat.* Qui e loco suo surgentes, atque ad urnam in medio positam accedentes, quam vellent singuli tabellam vel absolventem, vel condemnantem, vel denique ampliantem illuc iniiciebant. *Ampliare* autem (quod per literas *N. L.* scilicet *Non Liquet*, significabant) fuit, rem, ut-

pote non adhuc bene cognitam, ad aliud tempus *amplius* cognoscendam reiicere.

Eductis porro diremptisque tabellis, praetor e maiore earum numero sententiam pronuntiabat, aliqua eiusmodi usus formula: VIDETVR IVRE FECISSE, aut NON IVRE FECISSE, aut AMPLIVS COGNOSCENDVM. Ita apud Tullium V Verr. 6. *FECISSE VIDERI, PRONVNTIAVIT.* Atque in hac re advertendum id est, si pares iudicum utraque ex parte forent sententiae, reum fuisse absolutum. Manifestum luculentissime id fit ex illo eiusdem Ciceronis pro Cluent. 27. *In consilium erant ituri iudices triginta et duo. Sententiis decem et sex absolutio confici poterat.*

Iam demum absolutus reus poterat in adversarium iudicium calumniae intendere. At condemnato (nisi implorati tribuni intercessissent) nihil reliqui aliud erat, quam ut poenam subiret. De cuius vario genere dicendum aliquid nobis postremo restat.

§. III.

De Poenis.

Variae e multiplici criminum genere poenae exstiterunt. Octo autem ex Tullio numerantur per Isidorum. V Orig. 27. DAMNVM, VINCVLA, VERBERA, TALIO, IGNOMINIA, EXSILIVM, SERVITVS, MORS.

I. DAMNVM bona spectavit. Itaque tum *Multam*, tum *Publicationem bonorum* comprehendit.

1. *Multa* posita in eo erat, ut alicuius summae reus damnaretur. Haec autem non abiit olim ultra triginta boves, ac duas oves: quo rerum ge-

aere tota tunc ferme pecunia continebatur. Itaque Festus (voc. *Multam*) haec habet: *Maximam multam dixerunt trium millium et viginti assium: quia non licebat quondam pluribus triginta bobus, et duabus ovibus quemquam multari: aestimabaturque bos centussibus, ovis decussibus.*

Huiusce pecuniariae poenae irrogatae exactaeque hoc inter alia specimen dat Liv. XXXVIII 60. *In bona deinde L. Scipionis possessum publice quaestores praetor misit: neque in iis non modo vestigium ullum comparuit pecuniae regiae, sed nec tantum redactum est, quantae summae damnatus fuerat.*

2. Porro autem *Publicatio bonorum* eam habebat vim, ut damnati bona reipublicae addicerentur: quae poena praecipue in patriae hostes adhibita. Ita apud Tullium IV Catil. 5. *Adiungit etiam* (Caesar in Catilinae socios) *publicationem bonorum, ut omnes animi cruciatus et corporis etiam egestas ac mendicitas consequatur.*

Huc referri quodammodo potest etiam illa non infrequens consuetudo, qua damnati domus ad luculentiorem criminis detestationem funditus evertebatur; area vero ipsa, ne inaedificari iterum ibi ad usum hominum posset, consecrabatur. Huiusmodi est, quod tradit Valerius Max. VI 3. 1. *Senatus populusque Romanus non contentus capitali eum* (Sp. Cassium de affectata dominatione suspectum) *supplicio afficere, interempto domum superiecit, ut penatium quoque strage puniretur. In solo autem aedem Telluris fecit.* Id ipsum de domo Ciceronis exsulis egit Clodius; qua diruta, templum inibi Libertati statuit.

II. Vincula dicta generatim sunt Manicae, Pedicae, Compedes, Catenae, et quaevis id genus

alia instrumenta, in primis vero Carcer; de quo iam pauca.

Fuit iam antiquitus exstructus ad ima Capitolii Carcer ab Anco Martio; de quo Livius l. 33. Illuc rei crimen confessi solebant coniici. (l. 5. D. de cust. reor.) Etiam vero antequam confiterentur, nisi aut vades dedissent, aut in liberis custodiis haberentur. Quare Livius XXV 4. *Tribuni plebis*, inquit, *omissa multae certatione rei capitalis diem Postumio dixerunt: ac ni vades daret, prehendi a viatore, atque in carcerem duci iusserunt.*

In ipso autem carcere duo arctioris custodiae loca fuere, *Tullianum* seu *Latomiae*, atque *Robur*.

1. *Tullianum*, cui a servio Tullio auctore factum nomen, carceris pars erat humi depressa, incultu ac tenebris horrida; ubi non raro malefici enecti. Servius ad VI AEneid. 573. *Post quaestionem*, inquit, *in Tullianum ad ultimum supplicium missus.* Hoc ipsum prae se fert Livii narratio XXXIV 43. qua etiam id loci *inferiorem carcerem* vocatum deprehendes: *Q. Pleminius, qui propter multa in deos, hominesque scelera Locris admissa in carcerem coniectus fuerat, comparaverat homines, qui pluribus simul locis urbis nocte incendia facerent, ut in consternata nocturno tumultu civitate refringi carcer posset. Ea res indicio consciorum palam facta, delataque ad senatum est. Pleminius in INFERIOREM demissus CARCEREM est, necatusque.*

Idem locus appellatione a Syracusano carcere desumpta, *Latomiae* nuncupatus. Nimirum *latomiae* (teste Asconio in I Verr. 5.) lingua Siculorum lapicidinae dictae: unde ortum, ut quemadmodum carcer Syracusis a Dionysio factus, ita et Romae tullianum *Latomiarum* nomine designa-

retur, quod uterque locus exsectis lapidibus excisus esset. Ac Syracusanas quidem latomias descripsit Cicero V Verr. 55. Romanas vero memorat Livius XXXII 26 his verbis: *Triumviri carceris Latomiarum intentiorem custodiam habere iussi.* Et XXXVII *Principes AEtolorum Romam deducti, et in Latomias coniecti sunt.*

2. *Robur* porro arca veluti roborea in ipso carcere erat, in quam rei includebantur. Proinde a materia *Robustum carcerem* nuncupat illud Plautus Curcul. V 3. Hanc autem, quae procul dubio prae ceteris durior custodia fuit, in tulliano ipso exstitisse vero admodum simile videtur. Atque ab ea fortasse causa *Robur tullianum* dixit Calpurnius Flacc. Declam. IV.

Ibi reos morti nonnunquam datos ostendunt dicta apud Livium XXXVIII 59. *Vt in carcerem inter fures nocturnos et latrones vir clarissimus includatur, et IN ROBORE, et tenebris EXSPIRET.*

Verum quid tandem fuit *De robore praecipitari*? Scilicet ita locutus Valerius Max. VI 3. 1. *Quin etiam familiares eorum, ne quis reipublicae inimicis amicus esse vellet, DE ROBORE PRAECIPITATI SVNT.* Id sane ea ratione factum oportuit, ut arca illa inferne reserata, illac reus in subiectam aliquam altitudinem praeceps daretur.

III. Antiquissimum quoque Verbera inter supplicia habuere locum. Etenim iam primitus mos tenuit, ut rerum capitalium damnati virgis caederentur. Hinc horrendum illud carmen, in reos pronuntiari solitum: I lictor, colliga manvs: verbera intra, vel extra pomerivm. (Liv. I 26.)

Postea vero lex Porcia a M. Porcio Laeca tri-

buno plebis lata cives Romanos verberari vetuit. De qua Cicero pro Rabir. 4. *Porcia lex*, inquit, *virgas ab omnium civium Romanorum corpore amovit: hic misericors flagella* (servorum propria) *retulit.*

At non ita tamen virgarum vis per illam sanctionem perfracta est, ut non post etiam aliquando viguisse reperiatur. Ita in Epit. Liv. LV: *C. Matienus accusatus est apud tribunos plebis, quod exercitum in Hispania deseruisset; damnatusque sub furca diu virgis caesus est, et sestertio nummo veniit.*

IV. Talio *est similitudo vindictae, ut taliter quis puniatur, ut fecit*; quod scripsit Isidorus V. 27. Itaque si quis olim manum alicui abscidisset, oculum eruisset, lex haec fuit XII Tabularum, ut ei manus amputaretur, oculus excuteretur, nisi tamen cum illo pacisci vellet; siquidem per pactam pecuniam a talionis acerbitate se se poterat vindicare, auctore Gellio XXI 1. Quare in tanta declinandae poenae facilitate vix est credibile, eam fuisse unquam, ne priscis quidem aetatibus usurpatam.

V. Ignominia, late accepto vocabulo, duplex erat, altera quam censor, altera quam praetor inurebat. Illa, quae huc non pertinet, non aliud quam ruborem, uti loquitur Cicero apud Nonium I 93. afferebat. Praetoria vero, quae huius est loci, quaeque proprie *Infamia* dicta, publicorum munerum iure privabat. De hoc genere agit titulus Digestorum de iis qui not. infam.

VI. Exsilium eiusmodi fuit, ut non patrium modo domicilium, sed iura etiam civitatis adimeret. Quae quoniam invito nemini auferri poterant, prout patet ex Tullii verbis pro Dom. 19. idcirco non alio pacto haec poena irrogabatur, quam

tecti, aquae, et ignis interdictione. (Cic. ib. 30.) Nimirum quem exsultatum ire vellent, harum rerum usu privabant, ut ille, quo sustentare vitam posset, sua se sponte alio conferret, atque ita ipse per se exsilii subiret poenam. Quapropter de illis, quibus aqua et igni interdicebatur, haec effert Cicero pro Caec. 34. *Qui si in civitate legis vim subire vellent, non prius civitatem, quam vitam, amitterent: quia nolunt, non adimitur iis civitas, sed ab iis relinquitur atque deponitur.* Neque tamen ipso statim ab urbe abitu civitas amittebatur, sed ubi exsul alii se civitati adiunxisset: quod ita expressit idem Tullius pro Dom. 30. *Qui erant rerum capitalium condemnati, non prius hanc civitatem amittebant, quam erant in eam recepti, quo vertendi, hoc est mutandi soli causa venerant.* Nequibat enim civis Romanus in aliam recipi, quin suam amitteret civitatem. (Id. pro Balb. 14.)

Per *Relegationem* porro, qua reus a finibus sive urbis, sive totius Italiae coactus abire est, civitatis iura erepta non sunt. Hinc Ovidius V Trist. 11.

Nec vitam, nec opes, nec ius mihi civis ademit:
Nil nisi me patriis iussit abesse focis.
Ipse RELEGATI, non EXSVLIS utitur in me
Nomine.

VII. Servitus id ferebat, ut cum universis bonis libertas amitteretur. Haec poena in incensos, inque eos qui ad militiam vocati non respondissent, adhiberi solita. De alteris extat testimonium Dionysii p. 221. in hanc sententiam narrantis: ***Ei, qui censum neglexisset, poena proposita, ut ademptis bonis, ipse virgis caesus venundaretur.*** De alteris vero exemplum tradidit Valerius Max. VI

3. 4. *Manius Curius consul cum delectum subito edicere coactus esset . . . . . primum nomen urna extractum citari iussit: neque eo respondente . . bona eius, et ipsum vendidit.*

VIII. Iam ultimum supplicium Mors superest, variis illa quidem illata modis.

Pervetustum fuit, ut noxii virgis caesi, arbori suspenderentur. (Liv. I 26.)

E vulgatiore autem instituto, postquam verberati virgis essent, securi demum percutiebantur. (Idem XXXVI 15.)

Non raro porro ex Tarpeia rupe praecipitati sunt. (Id. VI 20.) Hoc omnino genus referunt illa Horatii dicta I Sat. 6.

> *Tu ne Syri, Damae, aut Dionysi filius audes*
> *DEIICERE E SAXO cives?*

Quidam praeterea de robore, prout ante declaravimus, acti in profundum.

Alii saepenumero in ipso carcere, ac plane in tulliano, strangulati. (Sallust. Bell. Catil. 55.)

Denique singularis parricidarum poena erat, ut sacco pelliceo insuti in profluentem deiicerentur. (Cic. pro Rosc. Amer. 25.) Quod poenae genus Publicio Malleolo matris interfectori primum irrogatum traditur in Epit. Liv. LXVIII. Inductum vero etiam in mores fuisse constat, ut una cum reo in eundem illum saccum includerentur canis, gallus gallinaceus, vipera, et simia, animalia sane omnia in pugnam pronissima.

CAPVT VIII.

De Romanorum Militia Terrestri.

Ad eam tandem Romanorum antiquitatum partem devenimus, qua sicut nihil ad veterum historiarum monumenta illustranda conducit magis, ita nihil fere est in toto hoc rerum genere spectabilius. Eiusmodi enim apud Romanum illum populum inter ipsa propemodum bella natum Militiae ratio exstitit, ut cum ei excolendae omnem operam studiumque summa virorum ingenia per plura saecula transmiserint, iam quidquid in ipsa spectaveris, ad absolutissimam quandam normam conformatum fuisse fatearis oporteat. Huic igitur perlustrandae eam par est animorum attentionem admoveri, quam perutilium praestantiumque rerum genus quasi sibi debitam postulare consuevit.

In hac autem tractatione unum maxime Polybium, Romanae florentissimi aevi militiae egregium explanatorem, nos ducem habebimus.

§. I.

De Delectu.

I. Quoties Romae militum Delectus habendus erat, primum omnium quatuor et viginti plerumque tribuni militum (a consulibus olim universi, at sequiore aetate a plebe etiam partim) legebantur, qui in quatuor legiones, quot fere scribi solebant, dispertirentur.

Tum consules proposito edicto (vel, si subita res foret, per praeconem) curabant, ut quicunque cives militaris essent aetatis, in Capitolium, vel in campum Martium ad dictam diem in suas divisi tribus convenirent. Ita ibi, consulibus ipsis summae rei praesidentibus, tribuni in quatuor partes distributi e singulis tribubus sorte ductis idoneos quosque eligebant; eo sane pacto, ut quaternos simul aetate et robore pares (singulos singulis legionibus adscribendos) allegerent, quo scilicet aequis hae viribus instruerentur.

In ipso autem delectus exordio in illud maxime, quod refert Tullius de Divinat. I 45. curam intendebant, *ut primus miles fieret bono nomine*: qualia habebantur, *Valerius*, *Salvius*, *Statorius*.

II. Iam aetas militaris, quam modo memoravimus, a decimo septimo ad quadragesimum sextum annum protendebatur. Illius igitur qui vel initium nondum attigisset, vel iam finem excessisset, militiae onere immunis ferme erat; ita nempe, ut si quis intra hos terminos sua stipendia non confecisset, is ea explere ad quinquagesimum usque annum cogi posset, secus vero eodem elapso.

III. Praeter aetatem autem certus quidam census ex veteri instituto militi conscribendo necesse fuit; atque is quidem antea non minor undecim millibus aeris, postea vero qui non infra quatuor millia aeris esset.

Hinc proletarios et capite censos, quos scilicet nulla privata res publicae devinciret, a militia prorsus olim exclusos compertum est. Verum posteriore aevo tum ipsi, tum libertini ad navalem militiam non magni habitam, et a Marii tandem temporibus ad terrestrem etiam legi coeperunt.

Non eadem vero, quae libertinis, servis quoque copia facta est; quos nimirum a bello procul abesse e republica semper creditum. Quod enim post Cannensem cladem et octo millia servorum ad dominorum ulciscendam caedem sua ipsi sponte militiam susceperunt, *Volones* propterea dicti; et alia quatuor et viginti eiusdem generis millia ex senatus consulto ad gerendum bellum empta fuere: id vero totum in illis temporum difficultatibus, exhausta iam urbe civibus, novum prorsus ac singulare fuit.

IV. Non alii igitur, quam cives, iique aetate ac censu legitimo, adscribi in militiam debuerunt. Hi contra, cum citarentur, respondere ad nomina necesse habebant; nec effugere delectum poterant, quin poenis ex voluntate consulum statuendis fierent obnoxii. Hae vero fuerunt in primis bonorum publicatio, et libertatis ademptio. De quo vide dicta p. 194. et seq.

V. Iustae tamen quaedam erant causae, ob quas quispiam militiae opere ex instituto maiorum eximeretur.

Earum prima fuit *Vacatio*, quae vel ab aetate, de qua modo actum, emanabat; vel ab honore, videlicet sacerdotii, aut magistratus; vel a bene-

ficio, quod ea de re senatus populusve detulisset.

Altera causa erant *Emerita stipendia*; ubi nimirum sua, ex numero lege praescripto, iam confecisset miles; dena eques, vicena pedes, uti ex Polybio observavit Lipsius I de Milit. Rom. 2.

Tertia tum *Morbus*; tum *Vitium*, ut si quis manu digitisve expers esset. Atque ab hoc causae genere *Causarii milites* dicti; unde etiam nomen accepit *Causaria missio*, de qua suo loco.

Eiusmodi causarum cognitio ad consules maxime pertinuit; quanquam saepe per appellationes ad tribunos plebis devolvebatur. Easdem vero non semper admissas fuisse, sed quandoque aut dilatas, aut sublatas declarant veterum scriptorum testimonia. Ita apud Livium III 69. *Consules in concione pronuntiant, tempus non esse CAVSAS cognoscendi, omnes iuniores postero die prima luce in campo Martio adessent; cognoscendis CAVSIS eorum, qui nomina non dedissent, bello perfecto se daturos tempus; pro desertore futurum, cuius non probassent CAVSAM.* Tum vero Idem VII 28. *Cum (quod per magnos tumultus* (68) *fieri solitum erat) iustitio indicto delectus SINE VACATIONIBVS habitus esset.*

---

(68) *Tumultum* appellaverunt veteres bellum e vicina aliqua regione improviso exortum. De cuius ratione Servius in Virg. VIII Aen. 1. *Tria*, inquit, *genera olim militiae fuerunt: Sacramentum, quae legitima erat militia, cum singuli milites iurabant: TVMVLTVS, id est bellum Italicum, vel Gallicum, in quibus ex periculi vicinitate erat timor multus. Et quando singulos interrogare non vacabat, qui convenerant, simul iurabant: et dicebatur ista militia, Coniuratio.*

Quaenam vero Tumultum consectari consueverint, declarat Cicero V Phil. 12. his verbis: *Rem administrandam arbitror sine ulla mora, et confestim ge-*

Et certe in his trepidis rebus veterani ipsi evocari solebant, quos *Evocatos* ea de causa dictos invenias. Ad hunc autem morem credit cum Donato Servius allusisse Maronem, cum inquit VII Aeneid. 693.

> . . . . *DESVETAQVE BELLO*
> *Agmina in arma vocat SVBITO, ferrumque retractat.*

Ceterum longe frequentius fuit, ut veterani ad bella etiam non tumultuaria a suis ducibus vocarentur; quorum gratia libenter illi arma resumebant, sed honestissimo loco inter milites habiti, operum immunes, et vite centurionum instar ornati.

VI. Equitum porro delectus nihil peculiare habuit; in quo enucleando opera locanda sit. Minime enim ille operosus fuit, quippe cum et eorum omnium nomina a ceteris secreta censorium album exhiberet, et inde perquam pauci (quod postea videbitur) unicuique exercitui adscriberentur.

VII. Iam ubi absoluta militum conscriptio fuerat, e singulis legionibus unus per earum tribunos eligebatur; qui apud eosdem sacramenti verba praeiret, in quae reliqui deinceps sigillatim iurarent. Ipsius autem iuramenti ratio iis maxime continebatur, quae per compendium declaravit Polybius VI 19. *se scilicet obtemperaturos, et pro viribus praestituros, quidquid ab imperatoribus mandare-*

---

rendam: Tumultum censeo decerni, iustitium indici, saga sumi dico oportere; delectum haberi, sublatis vacationibus in Vrbe, et in Italia.

Quae omnia cum praepropere fierent, hinc *Tumultuarius* pro rapide facto comparatove sumptum; ut *Tumultuarius exercitus*, *Tumultuarium opus*, *Tumultuarius sermo*.

tur. Similia fere legas apud Livium XXII 38. ubi praeterea traditur, sollemne hoc iuramentum alterius belli Punici tempore, i. e. A. V. DXXIII, in consuetudinem primum venisse; quippe cum antea non nisi sua ipsi voluntate coniurare inter se milites consuessent.

Tanta vero habebatur militaris huius sacramenti necessitas, ut qui se eo non obstrinxisset, ei tamquam non militi cum hoste pugnare neutiquam liceret: uti compertum ex eo est, quod scribit Tullius I Off. 11.

VIII. Quod ad socios Romano exercitui adscribendos attinuit, in more fuit positum, ut sub idem Romanae conscriptionis tempus denunciarent consules magistratibus foederatarum in Italia civitatum, quot inde copiae comparandae forent, tum quo die, et quem in locum convenire deberent. Itaque delectum illic eodem, quo Romae, pacto sui magistratus habebant: ac dein milites, iureiurando adactos, sub alicuius ductu, et cum suo quaestore (69) illuc, quo iussi fuerant, mittebant.

§. II.

De Ordinibus.

Delectu perfecto, tribuni militum locum diemque ad conveniendum novis legionibus edicebant, ut suos in ordines singulae digererentur. Fuerunt autem Ordines non militum modo, sed etiam ducum: quare de utrisque dicendum separatim est.

(69) Socii frumentum tantummodo a Romanis accipiebant; ceterum suae reipublicae sumptibus militabant. Vnde est, ut proprium secum Quaestorem haberent.

Ordines militum.

Ea sane notione sunt *Ordines militum* accipiendi: ut per eos tum *Genera*, tum *Partes*, in quas distributi milites sunt, intelligantur.

I. *Genera* (scilicet peditum) erant quatuor, Velites, Hastati, Principes, et Triarii. In quibus ordinandis ita acta res est, ut iuniores pauperioresque in Velites (quod genus omnium infimum) eligerentur; his proximi in Hastatos; aetate florentissimi in Principes; denique natu maximi, spectataeque virtutis in Triarios.

1. Velites, quasi *Volites* a *volando* dicti, quod levioribus armis instructi celerrime hac illac irent discurrerentque. Appellati etiam sunt *Rorarii*, quod ut *ros* fere imbrem, ita saepe ipsi gravem armaturam praelio praecederent: necnon *Ferentarii*, utpote ad opem, quocunque res posceret, ferendam prompti.

2. Hastatis a proprio quondam suo (quod a Varrone IV L. L. 16. elucet) hastarum usu nomenclatura facta.

3. Principes ex eo appellationem mutuatos, quod in prima antiquitus acie pugnarent, elicit e Varronis verbis Lipsius II de Milit. Rom. 1.

4. Triarii denique sic nuncupati, quod, cum dimicaretur, in tertio essent ordine: id quod aperte patebit, cum de aciei structura sermo erit. Quoniam vero mos erat, ut donec ad decertandum arcesserentur, dextero genu innixi subsiderent, ea de causa *Subsidia* etiam vocati. (Varr. IV L. L. 16. et Liv. VIII 9.) Postremo quoque *Pilani*, a teli genere, quod *pilum* dictum, quodque e Romanis militibus primi ipsi usurpaverunt.

Haec autem quatuor militum Genera ita unicui-

que Legioni attribui solebant, ut Triarii sexcenti numero essent; Principes vero mille ducenti, totidemque tum Hastati, tum Velites. Quos universos, si rationem inieris, quater mille et ducentos effecisse comperies. Quod si Legio plures his (id quod saepe accidit) contineret, tunc singulorum Generum numerus pro rata portione auctior esset necesse fuit, Triariis tantum exceptis, qui semper iidem.

II. Verum ut iam ad *Partes* deveniamus, unumquodque Genus (praeter velites) in decem MANIPVLOS dividebatur; ita ut in tota Legione triginta essent Manipuli: in quos porro ipsos aequabiliter velites (quorum nullum proprium erat corpus) dispergebantur.

Singulos autem Manipulos in duas CENTVRIAS distribui moris fuit: qua de causa quaevis Legio e sexaginta Centuriis constabat.

Rursus vero e tribus Manipulis conflabatur COHORS: cui tamen addebantur praeterea tot velites, quot milites Manipulus haberet. In una igitur Legione decem erant Cohortes.

Appositae ad haec Gellius XVI 4. *In legione*, inquit, *sunt Centuriae sexaginta*, *Manipuli triginta*, *Cohortes decem*. En universas Romanae legionis partes brevissimo ambitu comprehensas.

At cur tandem eiusmodi inditas appellationes credendum erit? Id profecto heic paucis edisserere nostri instituti ratio suadet.

Centuria non eo sic nuncupata fuit, quod centum homines complecteretur, cum reapse pauciores plerumque habuerit; sed quod ea vox, ad centenarium licet numerum designandum nata, ex usu tamen ad alias quoque sive minores, sive maiores multitudines traducta fuerit; ut patet in equitum, et in classium Centuriis, de quibus disputatum nobis est p. 65. et 84.

Manipulus a foeni *manipulo*, qui pro militari signo olim adhibitus, sibi nomen adscivit. De qua re ita Ovidius III Fast. 114.

Illa quidem foeno sed erat reverentia foeno,
Quantam nunc aquilas cernis habere tuas.
Pertica suspensos portabat longa MANIPLOS:
Vnde MANIPLARIS nomina miles habet.

Cohors a figura, quam referebat, dicta. Fuit quidem Latinis *Cohors*, quod Graecis *Χόρτος*, anterior villae domusve pars clausa ac circumsepta, hodie quoque Gallice appellata *Cour*, Italice *Cortile*. Hac sane notione Idem IV Fast. 704. de vulpe cecinit.

Abstulerat multas illa COHORTIS aves.

Quoniam igitur ea manus militum rotundam quasi formam, qualem fere domestica cohors, exhibebat, propterea eodem donata est nomine.

Sicut autem Peditatus in partes, quas modo recensuimus, distribuebatur, ita et Equitatum in alias dispescere sollemne erat, scilicet in TVRMAS (70), e triginta singulas equitibus; atque has dein ipsas in ternas DECVRIAS. Itaque e trecentis Romanis equitibus, quot Legioni annexi, decem omnino existebant Turmae, triginta Decuriae.

Sociorum vero copiae, quae Romanis adiunctae tam pedestres (numero plurimum illis pares), quam equestres (duplo maiores) in suas quoque partes, at paullo aliter, ac Romanae, divideban-

(70) Huius vocis originem a *terma* revocat Varro IV L. L. 16. quod *ter denis* Turma constaret equitibus. Hoc si verum fuerit, iam per ipsum nomen designatus est numerus.

tur. Etenim ex ipsis quinta pars peditum, et tertia equitum eligebantur in *Extraordinarios* ad usum consulum: tum vero ex iisdem Extraordinariis pars quinta (uti opinatur Lipsius II de Milit. Rom. 7.) in *Selectos*, qui consulibus ipsis quasi corporis custodes praesto ubique forent. Ob hanc autem tantam multitudinem e sociorum peditatu abstractam, factum illud est, ut huius manipuli (quos totidem fere, quot in Romano, esse voluerunt) pares numero militum Romanis esse non possent. Contra vero quoniam socialis equitatus, etiam postquam inde memorata pars divulsa fuerat, Romanum non mediocriter superabat; cumque eum in decem pariter turmas dispesci placeret: hinc illud emanabat, ut hae singulae pluribus, quam Romanae, videlicet 40 militibus constarent. Quem ipsum porro numerum Extraordinariae, Selectaeque turmae aequalitatis gratia servabant.

Iam ex universis huc usque recensitis legionis partibus facile erit omnem tum legioni ipsi, tum toti exercitui adscriptorum militum numerum colligere. Etenim cum Centuria e 60 militibus constiterit, Manipulus 120 continere (71) debuit,

---

(71) Cave putes, manipulum eodem semper genere fuisse. Nam aetate quidem Romuli erat ille centenum militum unus atque indivisus ordo; id quod testatur Auctor de Orig. Vrb. Rom. 22. et Plutarchus in Romul. libera inde republica, aucto eius numero, in duas sexagenum centurias distributus est. At sub Imperatoribus, immutata iterum ratione, manipulus centuriae non parum cessit, cum unius modo contubernii milites tunc temporis contineret, uti liquet ex Vegetio II 13: ut propterea iam proprium signum non habuerit. Atque hinc datur intelligi, quare centuriis manipulos postposuerit Ammianus XVII cum inquit: *Convocatis cohortibus, et centuriis, et manipulis omnibus.*

Cohors vero 420 (adiectis nimirum, ut supra dictum, 120 velitibus) Legio demum 4200. Atque haec quidem Romanorum peditum multitudo fuit.

Huic porro si addideris parem sociorum pedibus merentium manum, evadet illa ad 8400.

Quibus si postea accesserint trecenti equites e Romanis, et sexcenti e sociis, tunc universae Legionis numerus erit 9300.

Ad hunc vero ubi alterum tantum adieceris, habebis *Consularem exercitum* (qui e duabus fere constabat legionibus) instructum militibus 18600.

Integer itaque quatuor legionum (quot plerumque excepit) exercitus bellatores comprehendit 37200.

Haec autem universa ratio ducta ex Polybiana recensione est. Ceterum hac in re fuisse saepius variatum, ex Romanis historiis compertum est.

Ordines Dvcvm.

I. A militibus ad Duces gradum facimus: e quibus se primi nobis offerunt Centvriones. Hos tribuni iussu, aut permissu consulum, ex unoquoque militum genere (praeter velites, quibus non proprii duces, non signa erant) vicenos eligebant, singulisque manipulis binos assignabant; quorum alter centuriae dextrae (quae dignior), sinistrae alter praeesset.

In eorum delectu virtus maxime spectabatur. Hinc apud Livium XLII, 34. Ligustinus de semetipso in haec verba loquens inducitur: *Biennium miles gregarius fui adversus Philippum regem: tertio anno VIRTVTIS CAVSA mihi T. Quintus Flamininus DECVMVM ORDINEM HASTATVM ASSIGNAVIT.* Et paullo post: *Hic me imperator (M. Porcius) dignum iudicavit, cui PRIMVM HASTATVM PRIORIS CENTVRIAE ASSIGNARET.* Et mox: *A. M. Acilio*

mihi PRIMVS PRINCEPS PRIORIS CENTVRIAE EST ASSIGNATVS. Denique, nonnullis aliis interiectis: *Quater*, inquit, *intra paucos annos PRIMVM PILVM DVXI.*

E quibus locis illud praeterea noscitur, consuevisse dici, *primum*, *secundum*, etc. *decimum Hastatum*: *primum*, *secundum*, etc. *decimum Principem*: *primum*, *secundum*, etc. *decimum Pilum*; quo primus, secundus, etc. decimus manipulus sive Hastatorum, sive Principum, sive Triariorum designaretur.

Iam sicut inter manipulos discrimen graduum intercedebat, ita ut pro genere ac numero *decimus Hastatus* reliquorum omnium postremus esset, omnium vero honestissimus *primus Pilus*; sic plane Centuriones pro diversa manipulorum, quibus praeerant, dignitate plus minusve illustres habebantur. Ex quo iam per se quisque intelliget, qui priorem primi Pilanorum manipuli centuriam moderaretur, cum universis aliis praestitisse.

Et certe huius (qui *Primopilus*, aut *primus Centurio* dictus) eximium fuit decus, in eo maxime positum, quod, cum alia ceteri Centuriones militaria signa tuerentur, ipse Aquilam, unde summum totius legionis regimen exsistebat, adservaret. Ex quo fiebat, ut universae legioni praepositus videretur; praesertim vero quod etiam et supremo consilio cum primoribus intererat, et tribunorum, aut imperatoris mandata ipse non raro, quasi supremi imperii socius, inferioribus ordinibus indicebat. Sed et hanc eius amplitudinem illustrabat praeterea equestris dignitas (quam illi muneri adiunctam voluerunt), et fortasse etiam census, prout opinatur Lipsius II de Milit. Rom. 8. at si non is, multa certe pecunia. Vnde est illud Iuvenalis XIV.

Vt LOCVPLETEM AQVILAM sibi sexagesimus annus
Afferat.

Per quae verba palam id quoque fit, ad huiusmodi honorem sero plerumque aditum patuisse. Neque enim ferme illuc, nisi gradatim, accedendum erat; et quidem ita (quemadmodum ex Vegetio coniicit Lispius l. c.), ut a decimo e. g. Hastato ad decimum Principem ascenderetur, atque hinc ad decimum Pilum, tum vero ordine suo ad nonum, octavum, etc. donec ad primum Pilum perventum foret: quod certe longo post tempore fieri debebat; nisi tamen egregia alicuius merita eum praeter hanc rationem solito citius extulissent. Totum id perspicere licet in ante allatis ex Livio exemplis.

Verum, ut tandem pauca de Centurionibus reliqua persequamur, eorum sibi quisque deligebat tum *Optionem* (olim *Accensum* dictum), tum etiam *Signiferum.* Quapropter bini in manipulis sicut Centuriones, ita et Optiones, et Signiferi erant. Ad quos postremos quod attinet, utrum uterque suum, an unus tantummodo per vices signum ferret; sive, quod eodem recidit, duo ne, an unum signum cuique esset manipulo attributum: id vero, quod minus huius loci sit, alio reiicimus expendendum.

Denique Centurionum insigne fuit vitis; qua etiam ad animadvertendum in sontes utebantur. Itaque Lucanus VI, ut Scaevae centuriatum celebraret, ita cecinit:

. . . . *Ibi sanguine multo*
Promotus Latiam longo GERIT ordine VITEM.

Tum Spartianus de Hadriano 10: *Nulli*, inquit, *VITEM, nisi robusto, et bonae famae, DARET.*

II. Sequuntur Tribuni, qui seni numero (licet vetusta aetate pauciores) universae praeficiebantur legioni, atque ita quidem, ut per statas vices duobus mensibus bini, hique rursus alternis diebus munere fungerentur. Vide Livium XL 41. Verissime igitur de se ipse Horatius I Sat. 6. scripsit:

Quod mihi pareret legio Romana Tribuno.

Illos autem primo crearunt reges, deinde consules, ac tandem etiam populus in partem eius lectionis admissus (72). Hinc dispertitis nominibus, qui a consulibus facti, *Rutili* et *Rufuli* appellati sunt, quia de eorundem iure, uti est apud Festum, Rutilius Rufus legem tulerat; qui autem suffragiis populi, *Comitiati*, ut habetur ab Asconio in I Verr. 10.

Iam e quatuor et viginti tribunis, quot exercitui e quatuor legionibus conflato attributi, quatuordecim, teste Polybio, ex equite legi solebant, qui quina stipendia confecissent: reliqui decem e plebe, qui dena. At nonnunquam etiam e senatu id ducum genus prodiit. Ceterum plebeiis quidem Tribunatus, non minus quam Primipilatus, equestrem dignitatem cum suis insignibus afferebat: equitibus vero ad senatorium ordinem gradus erat. Quo maxime referri debet illud nominum discrimen, quo alteri *Angusticlavii* dici sub Imperatoribus coepti sunt; alteri autem (perinde ac ipsi senatores Tribuni) *Laticlavii*, quippe qui per Tribunatum tum senatoria ornamenta facile assequebantur, tum etiam sibi viam ad principem il-

(72) Principio datum populo, ut sex tribunos militares crearet, deinde senosdenes, postremo parem eorundem ipse, et consules, numerum. Habes singula apud Livium VII 5. IX 30. XLIV 21.

lum ordinem expediebant. Ita rem hanc scite digerit Rubenius I de re Vestiaria 14. contra ac senserat Lipsius II de Milit. Rom. 9. qui *Angusticlavios*, et *Laticlavios* non alios quam ex equite, aut senatu natos credidit.

Tribunorum porro fuit, ius dicere; militaria ministeria, excubias, vigilias, campestres meditationes accurare, atque in non minoris momenti alia, quae alibi commodius proferentur, studium operamque intendere.

Hi autem ductores, de quibus hactenus, Romano tantum pediti imperabant.

III. Equitum vero Turmae singulae ternis Decurionibus parebant; eo tamen pacto, ut horum unus (qui primus electus foret) toti turmae praecesset, ipso autem absente alter eam susciperet moderandam. Iidem, aeque ac centuriones, singulos sibi Optiones adsciscebant.

IV. Sociis praeponebantur a consulibus Praefecti, tribunis numero ac potestate pares. Qui per se dein ipsi reliquos suis copiis duces, manipulis scilicet Centuriones, turmis autem Praefectos assignasse videntur Lipsio II de Milit. Rom. 10.

V. Quos hucusque perlustravimus duces, iis in aliquam tantum militum partem imperium fuit. Restat nunc ut de illis pauca subiiciamus, qui in universum exercitum sive fiduciariam, sive propriam potestatem obtinuerunt. Hi erant Legati, et Imperator.

Quod ad Legatos attinet, hi non solum proxime omnium imperatori aderant, eidemque in tota re bellica consilium operamque suam commodabant, verum non raro etiam acceptam ab eo in universas copias exercebant auctoritatem: unde fiebat, ut ipsa imperii supremi insignia lictores fa-

sesque per id temporis prae se ferrent. Tot autem fere, quot legiones, esse solebant: at non raro tamen pro rerum provinciaeve amplitudine plus minusve crevit eorum numerus. Ad hoc a senatu eos dari mos fuit: sed et nonnunquam ex eiusdem auctoritate imperatores ipsi, quos vellent sibi legabant.

Omissum postremo nolumus, sequiore aetate novam ex instituto Augusti consuetudinem tenuisse, ut qui nomine Principis toti praeerat exercitui, *Legatus Consularis* diceretur; *Legati* vero *Praetorii*, qui singulis legionibus.

VI. De IMPERATORE id maxime notatu dignum occurrit, auspiciorum pro bello captandorum ius (quippe cum universa olim domi militiaeque auspicato fierent) illius unice fuisse. Hinc licet non omnes semper suo ipse ductu res ageret, cum nonnunquam ab exercitu abesset, omnes tamen eius auspiciis geri dicebantur. Itaque Horatius IV Od. 14. Augustum de bello, quod per privignos administrabat, allocutus postremo haec subdidit:

> *Te copias, te consilium, et TVOS*
> *Praebente DIVOS.*

§. III.

De Armis.

Tempus tandem est pervidere, quidnam illud fuerit, quo velites a reliquis peditibus distinguerentur: quandoquidem non aliunde totum id discriminis exstitit, quam e diversis armorum generibus, quae iam heic aggredimur pertractanda.

Levis armatvra.

Velitum arma fuere Gladivs Hispaniensis, Hastae, Parma, et Galea.

I. Gladii Hispaniensis, quem dextro lateri aptari solitum refert Polybius, rationem totam intelligere fas est ex illo Livii XXI 46. ubi: *Gallis*, inquit, *praelongi* (gladii erant) *ac sine mucronibus: Hispano punctim magis, quam caesim, assueto petere hostem, BREVITATE HABILES, et CVM MVCRONIBVS.* Eo utebatur veles, si quando collato pede pugnandum foret.

II. Ceterum familiarius ei erat eminus praeliari. A qua causa fuit, quamobrem septem praeterea Hastis instrueretur. Harum forma eiusmodi fuisse fertur, ut longae essent duobus cubitis, uno digito crassae, ferro spithamam longo armatae, eoque adeo tenuit, ut primo statim ictu inflecteretur, quo telum ad remittendum fieret inhabile.

III. Parma tripedalis fuit, atque *a medio in omnes partes par*, ut loquitur Varro IV L. L. 24. Fere uti scutum, de quo infra, compacta est. Quod autem *alba* nonnunquam cognominata fuerit, id inde ortum, quod nulla gloriae insignia, qualibus plerumque scutum clypeumque ornatum dein videbimus, ostentaret. Ita apud Virgilium IX Aeneido 548.

. . . . *PARMAQVE inglorius ALBA.*

IV. Capitis tegmen, quo usi velites, vocabulo maxime proprio Galea dictum, a γαλῆ q. e. *felis*, aut *mustela*; quippe quod non ex alia materia, quam e corio, conficeretur. Eiusmodi sane est apud Propertium IV 1.

Et GALEA hirsuta compta LVPINA juba.

Eandem *Cudonem* (a κώδιον caput) appellatam aliquando invenias. Silius VIII canit.

. . . . *Caput his CVDONE FERINO*
Stat cautum.

GRAVIS ARMATVRA.

Quae iam ad reliquos pedites pertinuerunt arma, haec recensentur, GLADIVS HISPANIENSIS (idem qui velitum), PILA, SCVTVM, GALEA (ex aere, ferrove), LORICA, et OCREAE.

I. Atque ut a PILO exordiamur (cum de gladio nihil sit ante dictis adiiciendum), Polybiana eiusdem deformatio satis ostendit, quantum inter ipsum, et velitares hastas interesset. Fuisse enim dicitur ea ferme crassitudine, qua manum impleret, longitudine quatuor cubitorum et semis (cum lignum ipsum tribus protenderetur cubitis, uno autem ac semis premineret ferrum), mucrone hamato, ut semel infixum difficulter revelli posset. Grave igitur, validumque admodum fuit. Hinc Tibullus IV 1:

. . . . *Celeremve sagittam*
Iecerit, aut LENTO PERFREGERIT
OBVIA PILO.

Et apud Silium XIII:

Stabant INNIXI PILIS exercitus omnis.

Iam bina id genus tela miles habebat.

II. SCVTVM (cui Graeca vox σκῦτος pellis nomen dedisse creditur) in eo differt a Clypeo, quod hic rotunda esset forma; ex quo apud Virgilium II Aeneid. 227.

. . . . *CLYPEIQVE sub orbe teguntur.*

Illud vero in longum protenderetur: quod licet noscere ex hoc eiusdem poëtae VIII Aeneid. 662.

. . . *SCVTIS protecti corpora LONGIS.*

Clypeis iam olim apud Romanos successere Scuta, teste Livio VIII 8. Haec ovatam figuram exhibentia, quatuor pedes habebant longitudinis, latitudinis vero, ubi maxima, pedes duos cum semisse. Sed et alia scuta erant imbricata, aliquanto longiora, eaque a dignioribus militibus usurpata.

Quod ad structuram pertinet, Scutum (perinde ut clypeus, ac parma) e ligno confectum; vel nonnunquam viminibus contextum pelle obtegebatur. Porro autem ex eius medio ferreus Vmbo (73) ad excipiendos ictus eminebat: ad quod ipsum, necnon ut, cum humi in parietem reclinatum staret (qui eius erat inter otium situs), nil detrimenti qua parte terram tangeret pateretur, supera ipsius inferaque ora lamellis erat ferreis obarmata.

Ad ornatum plura honoris insignia scutis clypeisque affingi solebant, more aliis passim nationibus communi. Exhibet id ornamenti genus apud Silium VIII Romanus miles

Scaevola, cui dirae caelatur laudis honora
Effigie clypeus. Flagrant altaribus ignes:
Tyrrhenum valli medio stat Mucius, ira
In semet versa.

Nec absimili ratione quidam Gallus, rem tradente eodem poeta IV:

. . . . *In titulos Capitolia capta trahebat*,

---

(73) Bene quidem res habet, quod gibba illa pars scuti appellata *Vmbo* fuerit; quo pacto montis etiam, aut gemmae pars errectior eodem affecta est nomine. Est enim id a Graeca voce ἄμβων, per quam quidquid in plano emineret, rotundam, vel coni figuram referens, placuit designari. Ex quo et sacer olim suggestus apud nostros Ecclesiasticarum rerum scriptores *Ambo* audivit.



Tarpeioque iugo, demens et vertice sacro
Pensantes aurum Celtas umbone ferebat.

Atque hinc antiquissimam Insignium gentilitiorum originem noscas licet.

Quae vero alia ab hactenus recensitis scuta Latinis nonnunquam scriptoribus memorantur, *Cetrae* scilicet, et *Peltae*, iis non Romani quidem, sed barbarae quaedam gentes utebantur. Quoniam autem peltae duplicem veluti cornuatae lunae speciem referebant, hinc aliquando *lunatae* cognominantur: a quibus Cetras non fuisse dissimile sprodidit Livius XXVIII 5.

III. Galea, qua de heic agitur, ex aere, aut ferro conflata erat, et non raro *bucculis*, i. e. oblongis quibusdam laminis hinc illincque ad tutandas malas instructa: quae ipsae loreis vinculis sub mento colligabantur. Eius apex *Conus* dictus: unde *Cristae*, praecipuum ornamentum, exstabant.

IV. Lorica a *loro*, quod ei olim materia fuit, nomen desumpsit. Deinde vero aereis ferreisve hamis sive annullis contexti coepit, et ita certe nonnunquam, ut quisque horum ordo duplex, aut triplex fieret: unde etiam *bilicis*, aut *trilicis* appellationes loricae ipsi accesserunt. Nec raro eadem ad maiorem adversus vulnera firmitudinem lamellis squamarum instar (multiplici item aliquando textu) compactis tota obtegebatur. Huc refer loca Maronis III Aeneid. 467.

Loricam CONSERTAM HAMIS, auroque
TRILICEM.

et IX 707.

Nec DVPLICI SQVAMA Lorica fidelis,
et auro
Sustinuit.

Id autem loricae genus, quod paucis descripsimus, militum ditiorum erat, qui ad primam ci-

vium Romanorum classem (de qua Livius I 43.) pertinebant. Reliqui enim *Pectoralia*, laminas nimirum aereas vel ferreas, ad tutandum solummodo pectus adhibebant.

V. Ocreas, quae, sicut reliqua fere arma, ex aere aut ferro confictae, uni tantum muniendo cruri fuisse a militibus accommodatas tum indicat Polybius VI 21. qui numero singulo *Ocream* ceterae armaturae adnumerat; tum vero aperte testatur Vegetius I 15. qui dextrum modo crus ea tectum refert, idque ea quam addit de causa, quod cominus pugnando *dextros pedes inante milites habere debeant.* At licet de sequioribus aetatibus hoc verum sit, binas tamen olim ocreas fuisse adhibitas satis constat ex Livio I 43.

VI. Iam de equitum armis nihil est, quod adiiciamus, cum eadem ferme fuerint, ac peditum, scilicet Galea, Scvtvm, Lorica, tum Gladivs longior, et Hasta, qua cominus uterentur.

§. IV.

De Acie.

Postquam Romanum exercitum tum conscriptum, tum in ordines distributum, tum denique armis ornatum vidimus, age nunc in campo instructum intueamur: ubi sigillatim et Ordinum dispositionem, et Aciei formas, et Signorum collocationem varietatemque animadvertere fas erit.

ORDINVM DISPOSITIO.

Quanquam non una omnino dirigendorum ordinum ratio ubique fuit, quaedam tamen id rei genus spectantia fuere apud Romanos instituta, quorum alia semper, alia persaepe in instruendis copiis obtinuerunt. Primum igitur constantissimi moris fuit, ut unaquaeque legio ita ordinaretur, ut in fronte consisterent Hastati, tum interiecto spatio Principes, extrema vero in acie post longius intervallum Triarii; inter quos Extraordinariis item peditibus locus datus. Singuli autem hi ordines in suos partite manipulos distributi.

Socii pedites in cornibus plurimum dispositi Romanas legiones hinc et illinc claudebant. Ad eorum vero latera Equites plerumque collocati, scilicet ad sinistrum Socii, ad dexterum Romani, atque hoc ipsum Extraordinariis equitibus firmatum protectumque. Hinc autem ortum est, ut Equitatus, nec non interdum ipse sociorum Peditatus, cum mediam Romanam aciem tegerent, *Alarum* nomine nuncuparentur (74).

---

(74) Notissimum id est, equitum ordines in acie *Alarum* nomine vocitatos, ea scilicet de causa, quam praeter reliquos refert Gellius XVI 4. *Quod circum legiones dextra sinistraque tamquam Alae in avium corporibus locabantur.*

Illa vero multo magis notanda sunt, tum quod eadem vox peditatum etiam sociorum denotarit, quippe qui medias legiones Romanas utrinque concluderet; tum quod inde peculiaris nomenclatura sociis ipsis tam equitibus, quam peditibus adscita fuerit. Itaque non modo *Alarii equites*, sed et *Alariae cohortes* dictae occurrunt, cum Romanae discriminis ergo *Legionariae* vocarentur. Hoc certe quondam ita servatum; verum deinde appellatio id genus a sociis ad Auxiliares (externarum scilicet, non Italicarum nationum)


Velites, variante saepe eorum positione, modo in prima fronte locati, modo viis inter manipulos patentibus inserti, modo ad cornua constituti.

Quod ad duces attinuit, Centuriones ante suas quisque centurias stabant; post ipsas autem Optiones constitisse videntur. Imperator saepe iuxta aquilas; circa quem Selecti equites peditesque, atque Evocati aliquot, aliis in manipulos immissis; nec non Legati ac Tribuni, nisi quos demandatum in aliquam exercitus partem imperium alio avocasset.

In hac igitur ordinum dispositione res fere sic gerebatur, ut narrat Livius VIII 8. quem heic audire praestabit: *Hastati omnium primi* (scilicet ex gravi acie, at plerumque post levem velitum dimicationem) *pugnam inibant. Si Hastati profligare hostem non possent, pede presso eos retrocedentes in intervalla ordinum Principes recipiebant. Tunc Principum pugna erat. Hastati sequebantur* (vel etiam nonnunquam simul iuncti redintegrabant praelium). *Triarii sub vexillis considebant, sinistro crure porrecto . . . . . . Si apud Principes quoque haud satis prospere esset pugnatum, a prima acie ad Triarios sensim referebantur. Inde, REM AD TRIARIOS REDISSE, cum laboratur, proverbio increbuit. Triarii consurgentes, ubi in intervalla ordinum suorum Principes et Hastatos recepissent, extemplo compressis ordinibus velut claudebant vias: unoque continenti agmine, iam nulla spe post relicta, in hostem incedebant.*

---

in Romanum exercitum mercede inductos (quod alterius belli Punici aetate primo factum auctor est Livius XXIV 49.) transit; ita tamen, ut *pedites Alarii* non tunc alii quam ii vocarentur, at *Alarii equites* promiscue id ipsum temporis et Socii, et Auxiliares dicti fuisse videantur.


Eq. Rom. utriusq. leg. 20 Turmæ
Eq. Extra utriusq cornu 8 Turmæ

Mvltiplex aciei forma.


I. Ab Ordinum dispositione ad Aciei formas gradum facimus. Haec saepissime quadrangula fuit, at ita, ut non semper omnino quadrata esset, sed vel maiorem latitudinem, quam longitudinem haberet, qualem in apposita figura Aciei vulgatae videre licet; vel contra longior esset, quam latior, cuiusmodi heic exhibetur, quae peculiari nomine Tvrris appellata.

Tur-
ris

Vtriusque vero huius generis Acies aut duplex erat, cum tota scilicet vel in duo tantum cornua, vel in primam aciem et subsidia dividebatur; aut triplex, cum acies media cornibus interponebatur.

Ad hoc ambae etiam illae Acies, ubi manus conserendae erant, modo recta fronte procurrebant; modo obliqua, altero nimirum cornu subsistente, altero progrediente; modo sinuata, cum, consistente acie media, cornua promoverentur, modo denique arcuata, cum acies media prae cornibus promineret.

II. Iam aliae quaedam fuerunt Aciei formae, quas recenset Gellius X 9. Ex his Cvnevs (nec non aliquando Trigonvm) dictus est ea instructio, qua exercitus, angustata fronte, sensim retrorsum expandebatur; qualem heic propositam intueris.



III. Eam autem positionem, qua ab extrema acie in angustum contracta duo brachia paullatim a semet invicem recedentia protendebantur, FORCIPEM, aut FORFICEM placuit appellare.



IV. GLOBVS, praeterea fuit, cum in orbem Acies disponebatur.

V. Denique SERRAM dixere, quando ita pugnabatur, ut primae aciei manipulis aliis atque aliis alterne procursantibus ac recedentibus, quaedam dentatae serrae species appareret.

SIGNORVM COLLOCATIO, ET VARIETAS.

I. Militaria signa, quae quibusque manipulis (singula potius (75) quam bina) assignata erant,

---

(75) Quaesitum ab eruditis est, singulis ne centuriis, an manipulis sua fuerint proposita signa, seu quod tantundem est, duo, an unum signum fuerit cuique manipulo attributum. Noster eo maxime inclinat animus, ut credat unum omnino signum toti manipulo praeivisse.

Certe quidem in dubium nemo revocat, antiquitus manipulum uno tantum signo, foeni manipulo, regi consuevisse, cum ab hoc ipso appellationem universus acceperit. Idem igitur, cum in duas postea centurias dispertitus esset, qui necesse habuit alterum signum assumere, cum in hac nova forma vix aliquantulo militum numero excreverit?

Deinde eiusmodi est hanc in rem Varronis testimonium, ut a proposita stare sententia mirifice videatur. Inquit enim IV. L. L. 16. *Manipulus, minima exercitus manus, QVAE VNVM SEQVITVR SIGNVM,*





, quin
munere
si alte-
s asse-

P. Tere in



...ajani, et aliunde expressa

...nium
Inqui...
manu...

Ex Columna Trajana

cum in agmine omnino anteirent, in acie tamen non ita praeposita sunt, ut non ante ea et suae copiae starent. Spectat huc maxime locus Livii XXX 33. ita de Scipione tradentis: *Non confertas autem cohortes* ANTE SVA QVAMQVE SIGNA *instruebat, sed manipulos aliquantum inter se distantes*. Atque hi quidem milites pro signis locati, *Antesignani* dicti. Quare, apud Eundem XXII 5. legitur: *Nova de integro pugna exorta est, non illa ordinata per principes, astatosque, ac triarios: nec ut* PRO SIGNIS ANTESIGNANVS, *post signa alia pugnaret acies.*

II. Porro autem varia fuere Signa, nec unam semper prae se tulere imaginem. Nam olim quidem foeni manipuli, ut ante dictum, perticis suspensi pro signis erant. Deinde adhiberi coeptae sunt Hastae, plerumque in crucis formam desinentes, et non raro a medio feré ad summum clypeolis quibusdam (Deorum, ac postea etiam Principum, imagines referentibus) ornatae. Praeterea ipsarum cacumen nonnunquam exstantis manus, nonnunquam alicuius bruti animalis, scilicet lupi, apri, equi, dragonis effigiem exhibebat. Huius itaque generis Signa manipulorum erant.

Equitibus vero data Vexilla parva ac quadrata vela contis appensa. Vnde profectum, ut ipsae equitum alae *Vexillationes* dictae aliquando fuerint, teste Vegetio II 1. Quoniam autem illa purpureo

---

Quid vero quod Polybius non alio ferme, quam Σημαίας *Signi*, vocabulo manipulum designat? ea profecto de causa, quod totum eum uni signo subiectum viderat.

At enim si unicum toti manipulo signum datum, quid binis signiferis opus fuit? Scilicet ut vicario munere alter in alterius locum succederet, presertim si alterutrum mors abstulisset, prout de centurionibus asseverat idem Polybius VI 22.

colore erant, idcirco per eundem scriptorem ibid. *Flamulae* vocantur.

Supremum denique totius legionis signum Aquila fuit. Hunc eius primatum satis expressit Seneca Thebaide III, cum inquit:

. . . . *Aera iam bellum cient*,
AQVILAQVE pugnam signifer MOTA vocat.

§. V.

De Castris.

Pro anni temporibus, quibus castra poni solerent, vel *Aestiva*, vel *Hiberna* sunt nuncupata.

Aestiva autem ita re simul et nomine distingui bifariam solebant, ut si in unam tantum noctem figerentur, *Castra* voce stricte sumpta (posteriore etiam aevo *Mansiones*) vocarentur; ex quo saepe *prima*, *altera*, *tertia*, etc. *Castra* pro prima, altera, tertia, etc. itineris die dici consueverunt: si vero in plures dies, *Stativa*.

Hiberna porro, quae in diuturnum tempus constitui opus erat, longe firmius munitiusque extruebantur. Quare non modo (secus, ac priora illa e pellibus conflata) plerumque e tabulis compingebantur, verum etiam non raro e lapide omnino fiebant, ita ut in vera oppida evaderent. Atque huius quidem originis non paucas apud Geographos invenias urbes, quae nominibus ipsae suis prodantur; ut *Castra Cornelia* (oppidum Africae, inter Carthaginem, et Vticam) *Castra Hannibalis* (nunc *le Castelle*, in magna Graecia inter urbem Scyllacium, et promontorium Lacinium): *Castra Mariana* (*Camariano*, in agro Novariensi): aliaeque plures.

Iam cum universa, quae de Castris dici queant, ad duo potissimum capita revocentur, ad eorum scilicet Formam, atque ad munia ibidem obita, de his ipsis nos heic ordine disseremus.

Castrorvm Forma.

Vt totam Castrorum effigiem facilius sit perspicere, partite ea ita delineabimus, ut primum superiorem eorundem partem, deinde inferiorem, postremo exteriorem ambitum adumbremus.

I. In superiore parte primum locum, eumque eminentiorem, ut inde in tota Castra prospectus esset, sibi vindicavit praetorivm: cuius ea fuit pedatura, ut in singula latera ducentenos pedes haberet: neque id immerito, cum ibi non imperatori modo pro sua dignitate, sed eius etiam lictoribus, servis, comitibus, iumentis, supellectili opportuna spatia dari oporteret.

Ex areis porro, quae Praetorio utrinque adiacebant, altera usui erat Foro rerum venalium; altera Qvaestorivm excepit, omnesque Quaestoris apparatus, aera, frumentum, ordeum, legumina in milites identidem distribuenda. Sed et ibi Armamentarium situm, cuius cura Quaestori ipsi commissa.

Sub Praetorium una recta linea collocati sunt Tribuni, bifariam via media divisi; eoque praeterea pacto, ut et inter singulos spatium intercederet, et seni quique suam spectarent legionem.

Vbinam autem tum Legati, tum Praefecti sociorum constituti fuerint, nihil memorat Polybius. Itaque ut in re incerta, Legatos quidem Lipsius (V de Mil. Rom. 4.) iuxta Praetorium in parte Fori statuit; at Schelius (in Notis ad Higynum Thes. Antiq. Rom. Tom. X.) in eadem cum

tribunis pedatura. Praefectos vero sociorum, utpote tribunis dignitate pares, ad horum latera collocat idem Lipsius ibid.

Iam porro a latere tum Fori, tum Quaestorii tendebant utrinque Evocati, iisque annexi Selecti. Tum, lata interiecta via, in primo Castrorum aditu Extraordinarii Hique omnes ea ratione, ut equites intra, pedites extra locarentur.

II. Superiorem Castrorum partem ab inferiore seiungebat transversa via, centum pedes lata; unde postea legionum tentoria sumebant initium. Haec autem priusquam inspiciamus, operae pretium fuerit animadvertere, totum hunc locum, ad quem Tribuni, Praefecti, primorum ordinum turmarumque Centuriones ac Decuriones tendebant, Principia fuisse appellatum: ubi et acta fuisse iudicia, et habitas conciones, et supplicia de reis sumpta (non tamen capitis, ne aquilae, castrensia numina, araeque illic positae funestarentur) saepe legere datur apud historicos. Atque hinc ortum duxit locutio illa, qua *mitti Principia* (uti apud Frontinum XI 5. 30.), perinde ac *dimitti Praetorium*, dictum est.

Tentoriorum autem decuriis manipulisque assignatorum eiusmodi fuit metatio. Definita area, quam occupare deberent, primum omnium disponebantur in longum mediae equitum Rom. Decuriae, in duos ordines via intersectos distributae: ad earum vero latera hinc, et illinc Triariorum manipuli. Deinde, alia interposita via, utrinque Principes: hisque adiecti Hastati. Alio postea interiecto spatio, sociorum Equites: quibus postremo adiuncti Pedites. Notare autem hoc loco proderit, cum decuriae, et singulorum ordinum manipuli connexi una serie inter se essent, quintos porro a sextis seiunctos per viam intermediam fuis-

se, QVINTANAM ea de causa nuncupatam. De qua tamen voce iterum infra.

Velites porro, de quorum pedatura reticet Polybius, in illo spatio constitisse coniicit Lipsius (V de Milit. 4.), quod totam tentoriorum compagem a vallo dirimebat.

Duo postremo heic reiecta nolumus, primum tentoriis ita milites fuisse usos, ut singula deni cum suo Decano habitarent, qui propterea *contubernales* dicti; deinde ipsa tentoria quoniam e pellibus, ut supra indicavimus, strui solebant, funibus extendi oportuisse, ideoque *tendendi* vocabulum ad castrensem mansionem designandam fuisse translatum, uti apud Virgilium II Aeneid. 29.

Heic Dolopum manus, heic saevus TENDEBAT Achilles.

III. Tria in exteriore Castrorum ambitu spectanda occurrunt, *Vallum*, *Fossa*, et *Portae*.

1. *Vallum* (aliquoties *Brachium* nuncupatum), praecipuam illud quidem castrorum munitionem, ducentos a tentoriis undique distantem pedes, Agger et Valli componebant. Agger e terra, caespite, virgultisque fiebat; ac praeterea tignis ad latera cancellatim appositis ita vinciri solebat, ut tota moles bene firma ac solidata consisteret. Aggeri porro ipsi longo ordine Valli infigebantur, eoque pacto per ramos, quos peracutos binos, ternosve, et nonnunquam etiam quaternos habebant, inter se invicem implicabantur; ut ad labefactandos evellendosque plurima opus esset contentione. Iam totius valli altitudini sex pedes, latitudini octo assignat Hyginus de Castramet. Sed hac in re pro maiore minoreve hostium propinquitate variatum.

De vallari *Lorica*, cuius non rara est apud scriptores mentio, recte cum Lipsio (II Poliorc.

2.) senties, eam munimentum fuisse vimineum ligneumve, quod Vallo impositum, ubi hinc pugnandum esset, propugnatores milites tueretur. Saepius tamen id vocabulum Vallo ipsi designando accommodatum fuit; unde et illud : *Lorica urbem circumdare.*

2. Vallo praeducebatur *Fossa*, plus minusve, prout necesse videretur, lata et profunda. Legitimam certe (i. e. non tumultuariam) Vegetius I. 24. novenos pedes altam fuisse ait, duodenos latam. Duplex eius forma fuit, altera *fastigiata*, quae, ut explicat Hyginus l. c. *a summa latitudine lateribus devexis in angustiam ad solum coniuncta perveniebat*: altera vero *Punica* nuncupata, per quam *directis lateribus* (ut legitur apud Caesarem VII de Bell. Gall. 72.) *solum tantundem pateret, quantum summa labra distabant.*

3. *Portae* castrorum, pro laterum numero, quatuor fuere. Praetoria in fronte erat; hosti semper, ubi contra ipsum castra figerentur, obversa; atque a *Praetorio*, quod spectabat, nomen sortita. Extraordinaria eadem, ab *Extraordinariis* copiis iuxta tendentibus, appellata.

Huic opposita Decumana fuit; cui a *decimis* ordinibus ea regione positis adscita est appellatio. Eandem Quaestoriam dictam invenies apud Livium XXXIV 47. et XL 27, ea nimirum de causa, quam non temere affert Lipsius V de Milit. 3. quod primitus adversus eam *Quaestorium* in via Quintana fuerit constitutum (76).

---

(76) Quaestorium non longe a porta Decumana statutum aliquando fuisse, aperte admodum demonstrat Livius X 32. ubi sic narrat: *Ab tergo castrorum DECVMANA PORTA impetus factus. Itaque captum QVAESTORIVM: Quaestorque ibi L. Opimius Pansa occisus.* Tum vero XLI 6. de bello adversus Istros

TRG

post
verba declarant.

adversus Istros

Reliquae duae portae PRINCIPALES vocatae; quippe quae *Principiis* responderent, et ad *primorum* ducum tabernacula maxime ducerent.

ATQVE haec de Castrorum tum forma, tum ambitu dixisse sufficiat; modo unum hoc attexatur; Castra, quae exercitum consularem exciperent (qualia hactenus descripsimus, atque in apposita tabula curavimus adumbranda) et figura fuisse plerumque quadrata, et circuitu mille ac quingentorum circiter passuum. Longe enim alia fuit illorum ratio, queis amborum consulum copiae concluderentur: etenim cum haec e binis castris simul iunctis (et quidem ab ea parte, qua Extraordinarios milites locatos diximus) conflarentur, formam certe oblongam, et ambitum multo ampliorem habuerunt.

MVNIA CASTRENSIA.

Varia fuere Munium castrensium genera, scilicet tentoria maiorum ducum figendi, vallum struen-

---

longum post aevum gesto verba faciens: *Praetorio*, inquit, *deiecto, direptis quae ibi fuerunt, ad QVAESTORIVM FORVM, QVINTANAMQVE hostes pervenerunt.* Quem ipsum morem Hyginus qui ad Traiani tempora pertinuit, tunc etiam obtinuisse testatur in de Castramet, ut scilicet figeretur Quaestorium *in rigore*, ut loquitur, *portae Decumanae.*

Cum vero Polybius, qui secundi belli Punici aetate vixit, certos nos faciat, tabernaculum Quaestoris iuxta Praetorium in superiore parte castrorum suo aevo fuisse; omnino ex his universis fateri oportet, pluries hac in re variatum, atque ita quidem, ut institutum, quod ex priore Livii testimonio antiquitus obtinuisse constat, deinde obsoleverit, uti ex Polybiana narratione apparet: id rursus tandem revocatum in posterum perennarit, ut et alter Livii locus et Hygini verba declarant.

di, fossam praeducendi, aliaque non pauca: queis qui fungebantur milites, *munifices* dicti sunt: cum contra centuriones, equites, evocati, nonnulli etiam aliquando e gregariis militibus peculiari beneficio, iis omnibus essent immunes. Iam nos, reliquis levioris momenti omissis, tantummodo de *Excubiarum*, ac *Vigiliarum* ratione disseremus.

I. *Excubias* quaternis quasque militibus constitisse compertum est (77). Eas ita disponere moris fuit, ut duae singulis tribunis, totidem fortasse legatis, tres quaestori, tum ad eorum tutanda tentoria, tum ad ipsos, ubi prodirent, assectandos attribuerentur. Apud imperatorem vero pro custodia simul et singulari ornatu totus manipulus excubabat.

Ad haec equitum turmis singulae e triariorum manipulis iuxta tenentibus excubiae aderant, non modo ut honestissimi loci civibus peculiaris honos earum ministerio praestaretur, sed in primis etiam ut equis, ne quid turbarent, cura adhiberetur.

Plane autem eadem, quae Romani milites, socii etiam in praefectos equitesque suos munera obibant.

Ad unamquamque porro castrorum portam cohors et turma adstabat, nisi tamen maiorum multitudinem propinquus hostium metus postularet. Atque hae certe Excubiae illae sunt, quas saepe *Stationes* dictas invenies.

II. Diurnarum excubiarum vices nocte *Vigiliae* excipiebant: quae eodem ac illae numero, impe-

---

(77) Ab hac causa fuit, quamobrem Excubiarum quaelibet Τετράδιον Graece audierit. Ita in Actibus Apostolorum 12. 4. traditum fuisse Petrum legitur τέσσαρσι ΤΕΤΡΑΔΙΟΙΣ στρατιωτῶν, quatuor *QVATERNIONIBVS militum*.

ratori, quaestori, legatis, tribunis, equitumque turmis, sed et praeterea singulae manipulis dabantur. Castrorum portis per id tempus velitum decuriae advigilabant; quin etiam eorundem excubiae passim locatae totum illorum ambitum tuebantur.

Dignum autem notatu heic illud est, e singulis Vigiliis unum modo militem ternis horis excubasse, cum reliqui interim somno indulgerent; tum alios deinceps vicem subiisse. Ita apud Lucanum V:

> . . . . *Iam castra silebant*,
> *Tertia iam Vigiles commoverat hora secundos.*

Itaque nox tota in quatuor fuit vigilias distributa, ut *prima*, *secunda*, *tertia*, *quarta vigilia* diceretur: quippe cum in duodecim semper horas tam nocturna quam diurna spatia dispertirentur, ut liquet ex his, quae supra in de magistratuum Ministris protulimus p. 161. adnot. 61.

Quo vero excubitores omnes in officio perstarent, ita provisum est, ut ex unaquaque legione quatuor equites (octo omnino in exercitu consulari) partita vice sub cuiusque vigiliae finem universas stationes circumeundo lustrarent, *Circuitores* aut *Circitores* propterea nuncupati. Itaque hi (qui nocte sua ad primum pilum accubabant) accepto iam ante scripto a tribuno, quota vigilia, et quosnam singuli adire deberent, ubi adventasset hora, bini (ubi non plures quam octo essent numero) castra bipartito peragrabant. Et secum aliquot amicos habentes, et loca sibi assignata obeuntes, ab excubiis quidem vigilantibus tesseram seu tabellam notis signatam (de qua mox) accipiebant; at ubi neglecti muneris reos comperissent, tam amicos, quam proximos vigilies testati praeteribant. Idque per singulas vigilias factitatum. Hanc por-

ro quisque horum Circuitorum collectas tesseras deferebat ad tribunum: isque ex his redditis intelligebat, utrum omnes vigiles, necne, officio functi essent; et si qui forent noxii, in eos animadverti curabat.

Iam Tesserarum genus, quod ad vigilias pertinebat, eiusmodi fuit, ut earum quaevis inscriptum exhiberet militis tum ordinem tum vigiliam, hoc e. g. pacto H. I. V. I. i. e. *Hastatus manipuli Primi Vigilia Prima*: quo nimirum eaedem per Circuitores relatae, aut secus, ostenderent, num munus implesset miles, an non.

At longe vero alia illarum tesserarum ratio erat, quae sub occasum solis a tribuno datae *Tesserariis* (militibus e decimo quoque legionis signo delectis, atque excubandi onere immunibus), per hos autem suis centurionibus praefectisve redditae, tum ab his perlectae ac inde nonorum signorum centurionibus aut praefectis traditae, ac sic deinceps, totum quam celerrime exercitum circumibant; quo scilicet per duces ipsos notum fieret militibus universis verbum, aut sententia illa, quam pro imperatoribus arbitrio prae se ferebant, cuius tandem ope inter noctis tenebras amicus ab hoste internosci quiret; cuiusmodi plane apud nostros est *il Santo*. Ita Philippensi acie a Caesare et Antonio *Apollinem* signo datum narrat Valerius Max. I. 5. 7. (78).

---

(78) Plurimus omnino in bellis fuit Tesserarum usus, neque ad id modo, de quo iam dictum, sed ad quaedam etiam mandata exercitibus danda. Huc referendum e multis aliis est illud Livii VII 35. *Vigiliis deinde dispositis, ceteris omnibus Tesseram dari iubet: ubi secundae vigiliae buccina datum signum esset, armati cum silentio ad se venirent.* Iam vero Tesseras id genus nonnunquam signatas dari consuevisse, quae

§. IV.

De Agmine Et Exercitiis.

Satis hactenus exercitui in castris commoranti, variaque ibi munia obeunti adstitimus: bene nunc erit inde proficiscentem prosequi, tum in suis versantem exercitiis conspicari.

Agmen.

I. Cum castra movenda forent, ut omnia quae par erat ordine gererentur, tria per tubam signa dari prius solebant. Ad quorum primum detensis milites tabernaculis sarcinas componebant: ad alterum his iumenta onerabant: ad tertium procedebant.

II. Agmen ipsum ita ferme dirigebatur. Vniversis copiis praeibant Extraordinarii; utpote portae praetoriae, qua plerumque signa efferebantur, propiores. Hos sequebatur Cornu dextrum sociorum, quos statim subibant eorundem impedimenta: tum prima Legio, poneque eius vasa: inde secunda Legio, ac post ipsam tum sua, tum sinistri Cornu sociorum iumenta: a quo eodem totum de-

---

praestituto dein tempore locoque reserarentur, liquet praecipue ex narratione Hirtii de Bell. Afr. 3. qua dicitur: *Neque certum locum gubernatoribus praefectisque, quem peterent, praeceperat: neque, ut mos ipsius consuetudoque superioribus temporibus fuerat, TABELLAS SIGNATAS dederat, ut in tempore iis perlectis locum certum peterent universi.*

nique agmen claudebatur. Equites vel partite suum quique agmen, sociales scilicet socios, Romani autem legiones prosequebantur; vel a latere iumentis pro maiore eorum custodia adequitabant. Atque, haec quidem ex Polybii testimonio usitatior agminis instructio fuit: quam qui cum castrorum forma contulerit, nae is per se intelliget, quam facile, quamque recte tota hoc modo castra in profectionibus explicarentur.

Quod si improvisus aliquis hostium impetus timeretur, tum vero perinde atque in acie compositi incedebant, nimirum primo Hastati, deinde Principes, postremo Triarii, nisi quod tantum impedimenta ordinibus quibusque sua praeibant; ita ut si illico pugnandum foret, non quidquam plane aliud instructae iam satis copiae facerent, quam ut ad dexteram sinistramve declinarent, quo ab interpositis iumentis se se expedirent, liberumque ad praeliandum campum haberent.

Iam Velites (quos in utroque agmine omisit Polybius) ad latera, aut in fronte locatos credi fas est: Imperatorem vero cum Evocatis Selectisque, ubi e re magis esse videretur.

Praeter has autem Polybianas duas, fuere et aliae plures agminis instructiones, quas apud historicos licebit animadvertere.

III. Quod vero ex dictis elucet, saepe agminis forma, aciei vulgatioris instar fuit, eaque maximi certe usus, cum hosti obviam iretur.

Sed nec rarum erat, ut extenuatis arctatisque ordinibus totum agmen in longum protenderetur: quod in primis factitatum, ubi angusta locorum forent superanda. Huius generis est, quod habetur apud Livium XXXV 27. *Obtinebant autem longo agmine propter angustias viae prope quinque millia passuum.* Id agmen *pilatum* dictum, si-

ve ἀπὸ τῦ ΠΙΛΕΙΝ τὰς λόχυς (*a densandis cohortibus*); sive quod *pili*, aut veru quandam veluti imaginem exhiberet, id quod unice probasse videtur Vegetius III 20.

IV. Quantum denique viae quotidie agmen conficeret, notum est ab eodem scriptore I 10. qui illud quinis horis aestivis (de veteri more longioribus) viginti millia passuum militari gradu peregisse testatur; pleno autem, videlicet concitatiore, quatuor et viginti.

Exercitia.

Vix paucis dici queat, quam multa, quamque dura Exercitiorum genera Romanus miles, ne inerti unquam desidia marcesceret, identidem subire cogeretur. Ea autem, e quibus tanquam e re propria nomen ipse suum Exercitus desumpsit, in tres classes dispesci solent, ut fuisse dicantur *Exercitia oneris*, *operis*, *et armorum*.

I. Horum prima, quae ad agmen omnino spectabant, declarat Tullius II Tuscul. 16. ubi milites, praeter arma, gravatos in itinere fuisse asserit *Cibo*, *Vtensilibus*, *Vallo*.

Itaque persaepe iussus miles plurium dierum, vel etiam totius mensis Cibaria (i. e. frumentum, et sequiore aevo buccellatum) secum ferre.

Vtensilia praeterea gerebant, quae numerat Iosephus III de Bell. Iudaic. 6. Falcem, Securim, Serram, Rutrum, Corbem, Lorum, Catenam, nec non quae alii tradidere, Ollam, Veru, et si quid aliud huiusmodi: quae omnia ad pabulandum, lignandum, muniendum, ad captivos vinciendos, ad cibos parandos usui erant.

Ad haec tres aut quatuor Vallos gestare quisque solebat, queis illico strui munimenta possent,

II. Ad alterum porro exercitiorum genus plurima pertinere opera, quae a militibus per otium peragi consuerunt, ut Viae, Pontes, Aquaeductus, Basilicae, aliaque non levioris momenti. Erant quidem in singulis legionibus fabri lignarii, carpentarii, ferrarii, ceterique tales ad construenda machinamenta bellica comparati; quorum etiam universo ordini *Praefectus fabrum* praeerat: at ubi militum otium avertere opus esset, tum ipsa militaris manus molitionibus a duce propositis admovebatur. Ita apud Livium XXXIX 2. C. Flaminius consul, *ne in otio militem haberet, viam a Bononia perduxit Arretium.*

III. Reliqua sunt exercitia armorum, ob quae maxime a Iosepho III Bell. Iud. 6. commendatur Romana militia. Non ea quidem raro, sed quotidie miles (ubi quies esset a pugnis) bis tiro, semel veteranus obibat. Quibus campestribus meditationibus sub alicuius centurionis (sequiore aevo, campidoctoris) ductu mirum quantum ille facultatis ad quaslibet bellorum contentiones sustinendas comparabat. Huius generis erant Ambvlatio, Decvrsio, Saltvs, Palaria, Armatvra, Salitio.

1. Ambvlatio, per quam miles tum velociter, tum aequaliter incedere assuescebat, in eo erat posita, ut ter per mensem armatus decem millia passuum eundo, ac redeundo conficeret, rem testante Vegetio I 27. Vbi tamen vicena milliaria esse intelligenda, ut dena scilicet in itu, totidemque in reditu pertracta sint, recte colligit Lipsius V de Milit. Rom. 14. ex alio eiusdem Vegetii loco I 9.

2. Decvrsionis proprium fuit, ut copiae in armis item, et sub signis non incessu, sed cursu ingens aliquod spatium emetirentur. (Id. I 27.)

Huius exercitationis vi milites expeditiores fiebant et ad percursandum maiore impetu in hostes, et ad fugientes agilius assequendos, et ad opportuna loca celerius occupanda.

3. Saltvs porro eo spectabat, ut facilis militi tum fossarum, tum moenium montiumque transgressio redderetur.

4. Palaria id exercitationis genus vocatum est, quo tirones palum humi defixum, tanquam in acie hostem, vel clava, vel missilibus petendo, ad utramque cominus, eminusque pugnandi artem informabantur. (Id. I 11 et II 23.)

5. Huic aliqua ex parte affinis fuit Armatvra, ad omnem iaculandi disciplinam tradendam instituta. (Id. I. 13. et seqq.)

6. Salitio ad equites pertinuit; qui, ut conscensio in equos, nihil sibi negotii in praeliorum tumultibus facesseret, equos ligneos modo a dextera, modo a sinistra parte, strictos etiam nonnunquam gladios, contosve manu gestantes raptim ascendere condiscebant. (Id I 18.)

§. VII.

De Stipendio, Praemiis, Poenis, Ac Missionibus.

Quod quatuor simul haec, Stipendium, Praemia, Poenas, ac Missiones coniicienda huc crediderimus, id maxime fuit in causa, quod non minimo omnia inter se sint vel affinitatis, vel relationis vinculo colligata. Eadem autem singula non minus reliquis momentum habere mox res ipsae palam per se facient.

Stipendivm.

I. Romanos ad annum CCCXLIX ab urbe condita proprio aere militasse testatur Livius IV 19. Tunc igitur primo Stipendium attributum, at tantum pediti: nam equiti triennio post dari coeptum est. (Id. V 7.)

Fuit autem per ea tempora peditis stipendium quinque asses: idque ad Iulii Caesaris usque dominatum. Cuius opera tandem in duplum crevisse constat. (Suet. in vit. Iul. 26.) Itaque exinde deni asses stipendium diurnum: quod et manifestant apud Tacitum Annal. I militum illae imperante Augusto querimoniae, *militiam ipsam gravem, infructuosam: DENIS IN DIEM ASSIBVS animam, et corpus aestimari.*

Inita igitur ratione, singulis mensibus octodecim denarios (senisdenis tunc constantes assibus), et asses duodecim illis miles aetatibus merebat, ita ut pensio quadrimestris esset denariorum septuaginta quinque, sive trium aureorum. Iam porro Domitianus, ut refert Suetonius in vit. 7. *addidit et quartum stipendium militi, aureos ternos*; nimirum id egit, ut cum antea tres aurei quaternis quibusque mensibus solvi pro stipendio consuessent, totidem deinceps ternis mensibus penderentur; atque ita non ternae, sed quaternae forent annuae pensiones: ad summam non novem, ut anteacto aevo, sed duodecim per annum aureos quadripartito milites acciperent. (79)

II. A stipendio peditum, de quo hactenus, aliud

---

(79) Itam rem hanc variis prius doctorum hominum sententiis exagitatam apte admodum composuerant Schelius in de Stipendio militari apud Graevium Th. Antiq. Rom. T. X, et Gronovius III de Pecun. vet. 2,

fuit, centurionibus equitibusque adnumeratum. Etenim pro rata portione illis duplum, his triplum dari solitum docuit Polybius VI 37. Tribunos autem quadruplo fuisse ornatos opinatur Schelius in Polybium 3.

Imperatoribus, Legatis, Quaestoribus praebebantur quidem ad usum victumque necessaria, vestes, tabernacula, equi, muli, mancipia, omnisque militaris supellex, frumentum denique ac pecunia ad se suamque familiam sustentandam; sed stipendium libera republica plane nullum, ut quaevis avaritiae suspicio a summis imperiis arceretur.

III. Frumentum praeterea militi cura publica praestitum (80). Itaque pediti quatuor in mensem

---

(80) E frumento eam quisque miles ferre plerumque copiam cogebatur, quae sibi amplius quindecim dies satis foret. (Cic. II Tuscul. 16.) Ideoque quia id habilius leviusque ad portandum erat, frumentum eis potius, quam panis dabatur. Ipsum autem suo tempore, ut sibi pultem panemve pararent, vel lapide tundebant; quo respicit Maronis illud I Aeneid. 183.

Et torrere parant flammis, et frangere saxo; vel potius molis trusatilibus, quae omnium antiquissimae, frangebant. Hinc apud Livium XXVIII 45. inter reliquum omnis generis militarem apparatum molae etiam recensentur. E subacta porro farina subitarium opus non furno quidem clibanove, sed carbonibus cinereve coquere moris fuit.

Inficiandum tamen non est, nonnunquam, ubi res ita postularet, cocta in plures dies cibaria (ut apud Livium III 27.) milites ferre jussos. Quin immo sequiore dein aevo sub Imperatoribus frequens fuit, ut copiis pro frumento panis, aut bucellatum impertiretur. Per easdem aetates et alia exercitui praeberi solita, scilicet laridum, caro, oleum, vinum.

Ceterum sollemnis militum potus, maxime reipublicae tempore, aqua fuit vel pura, vel aliquantulo aceto temperata, quae dicta *posca*.

dati modii (quantum et servorum demensum fuit); pro rata autem portione duplum centurioni, triplum equiti, quadruplum fortasse tribuno; idque tum honoris gratia, tum quod hi suos servos haberent. Sed et equiti hordeum pro equis admensum. Eadem porro suppeditata sunt sociis; nisi tantum quod equites minus tum frumenti, tum hordei accipiebant: quippe quod iis et unus adesset servus, nec iumentum sarcinarium, praeter equum, perinde ac Romanis, alendum foret. Ceterum hoc omne sociis, utpote suo sumptu militantibus*, gratuito praebebatur: at civibus non item, quibus quidquid annonae daretur, eius (sicut etiam vestium, armorumque publice impertitorum) pretium e stipendio ipsis debito detractum, etsi non totum, at aliquantum fuit.

Praemia.

1. Abs re non esse videtur, stipendio alia statim militaria commoda attexere, videlicet Praemia, quibus imperator advocata subinde concione milites ob strenue navatam operam collaudatos afficiebat. Ea autem varia pro diverso rerum gestarum genere fuerunt.

Primum igitur qui singulari pugna hostem vulnerasset, huic Hasta pura (ferro nimirum expers) dono cedebat.

Qui vero spolia etiam illi detraxisset, is si quidem pedes, Armillas, si autem eques, Phaleras, vel Torqvem (eaque fere aurea, aut certe argentea) reportabat.

At qui civem aliquem, occiso hoste, servasset, Corona civica (querna, aut iligna) donabatur; eamque ab ipso per se protecto milite accipiebat, qui insuper servatori suo omnia tamquam

parenti praestare, quoad viveret, debebat officia.

Erant vero et aliae militibus dari solitae Coronae. MVRALEM namque (murorum veluti pinnis ornatam) habebat, qui hostium muros primus subierat: CASTRENSEM seu VALLAREM (insigne valli prae se ferentem) qui castra primus irruperat.

Eadem ratione (ut id veluti e re nata adiiciamus) ducis fuit CORONA OBSIDIONALIS sive GRAMINEA, illius videlicet, qui obsidione cives liberasset. Huic coronae, quae inter universas reliquas clarissima materiam praebebat gramen e loco ipso ante obesso decerptum.

Habes iam non pauca praemiorum genera, quibus militaris virtus honestata. His porro adde VEXILLA, FIBVLAS, PECVNIAM, et si qua levioris momenti alia ab historicis memorata. At non ultimo certe loco habita fuere SPOLIA, queis miles a caeso hoste relatis aedium suarum postes atriumque ad perpetuam recordationem exornabat. Verum age pauca haec de militaribus donis dicta brevi imperatoriorum honorum mentione concludamus.

II. Triplicis hi generis fuere. Primum enim frequens erat, ut dux post praeclarum aliquod belli facinus IMPERATOR a militibus salutaretur: quae certe appellatio, quam *laureati fasces* comitabantur, iam non potestatis index, sed virtutis testimonium, proprio cognomini apponebatur, ut diceretur e. g. *Marcus Tullius Cicero imperator.* Atque ad hunc morem fac revoces e sequiore aevo sollemnem illum Romanorum Principum titulum, quo, licet eorum quisque perpetuo imperarit, non unus tamen nec raro in monumentis audit, IMP. III, IV, V, etc. quippe quod a pluribus rebus gestis pluries id ipsis nomen fuerit adiunctum, uti

Augusto ex testimonio Taciti Annal. I semel et vicies comparatum; qui propterea inter reliqua laudum insignia hoc praeferret, IMP. XXI.

Alter porro in victorem ducem collatus honor erat SVPPLICATIO sive GRATVLATIO, quae ubi a senatu decreta esset, reseratas universas sacras aedes frequens populus concursabat, gratesque diis pro re feliciter gesta imperatoris nomine persolvebat.

Summum demum inter imperatoriae dignitatis ornamenta locum habuisse TRIVMPHVM nemo ignorat: quem tamen iis tantum per senatus auctoritatem sollemnis consuetudo concedi sivit, qui una acie quinque millia hostium cecidissent. Cui igitur triumphandi copia facta esset, is statuta die suis insignibus, toga picta, tunica palmata, corona laurea (81), sceptroque ornatus, porta triumphali

---

(81) Praeter lauream altera triumphalis fuit ex auro corona, quam utpote ingentis magnitudinis servus publicus pone ducem constitutus elatam super ipsius caput sustinebat. De ea Iuvenalis X 39.

. . . . Magnaeque coronae
Tantum orbem, quanto cervix non sufficit ulla,
Quippe tenet sudans hanc publicus, et sibi consul
Ne placeat, curru servus portatur eodem.

Quam ipsam ob causam (ut id obiter subiiciamus) ne sibi ille in tanta pompa placeret, idem identidem servus insusurrasse fertur: *Respice futura, et hominem te esse cogita.*

Ad haec vero praeferri coronae provinciales solebant, quas item aureas provinciae victoriam gratulantes triumphaturo duci dono mittebant. Itaque auctore Livio XXXIX 6. *in triumpho tulit Cn. Manlius coronas aureas CC duodecim pondo.* Quae coronae *Aurum coronarium* nuncupatae. Aperuit rem Gellius V 6. *Triumphales coronae*, inquit, *sunt aureae, quae imperatoribus ob honorem triumphi mittuntur. Id vulgo dicitur AVRVM CORONARIVM.* Sed et

quadriiugo auratoque curru in urbem invehebatur, praeeuntibus rerum gestarum Titulis, devictarum urbium Simulacris, spoliorum Ferculis, captivis Ducibus, Regibusve, prosequente vero Exercitu laureato, suisque praemiis insignito. Tum postquam pluribus urbis regionibus peragratis de via sacra in forum descenderat, atque hoc circuito incipiebat currum in capitolium flectere, non raro captivos duces in carcerem abripi, ibique necari iubebat. Vbi vero in arcem deventum foret, Dux templum ingressus, corona in sinu Iovis deposita, eidem sacrum candido bove faciebat, actisque pro victoria gratiis donaria dedicabat.

Iam Triumpho inferior aliquanto erat Ovatio. Cui enim haec obtigisset, is ex vetustiore quidem instituto pedibus, prout vero recentior tulit mos, equo urbem ingrediebatur: myrteam, non lauream, gerebat coronam: non taurum, sed ovem (unde toti rei adscita appellatio) immolabat.

Omissum postremo nolumus, morem etiam obtinuisse, ut Statvae eqvestres, vel Cvrvles; Colvmnae; Arcvs; aliaque virtutis monumenta victoribus ponerentur.

Poenae.

Si studiose praemiis virtutem militum excitare; non minus sedulo delicta coërcere poenis curatum

---

hoc eodem nomine vocata creditur pecunia, quae pro coronis dari aliquando soleret. Ceterum consuetudo invaluit, ut huiusmodi aurum, coronarium, praeter victoriarum triumphorumque causas, etiam aliarum celebritatum gratia praeberetur. Ostendunt hoc Capitolini verba in Antonino Pio 4. *Aurum coronarium, quod adoptionis suae causa oblatum fuerat, Italicis totum, medium provincialibus reddidit.*

est. Quare nullum fuit culpae flagitiique genus, cui non suae essent animadversiones ac supplicia proposita: quae irrogare tribuni, aut praefecti plerumque fuit: nisi quod cum de capite ageretur, unus imperator, penes quem supremum puniendi erat arbitrium, reum poterat condemnare, sed vero etiam de consilii sententia tribunus ipse, praefectusve.

Poenarum autem omnium minima erat MVLTA; atque, ubi miles non statim solvendo esset, PIGNVS.

Longe plus gravitatis habebat VERBERATIO, qua et cives vite, et socii virgis caedi soliti.

Atrocissimum porro exstitit FVSTVARIVM, per quod reus fustibus lapidibusve a commilitonibus enectus.

Huic vero poenae, quae ad mortem adigebat, adiicienda etiam SECVRIS est.

Quod si multi pariter deliquissent, tum, ne in universos saeviretur, commodo, at horribili remedio DECIMATIO, VICESIMATIO, aut etiam CENTESIMATIO adhibita; ut scilicet e noxiis decimus, aut vicesimus, vel demum centesimus quisque sorte ductus morti daretur.

Ab his universis poenis alia prorsus erat IGNOMINIA; qua vel hordeum noxio militi pro frumento est datum; vel ipse aere dirutus; vel in inferiorem ordinem descendere, aut extra castra manere, aut lacera discinctaque veste in publicum prodire coactus. Nec absimilis generis fuit Missio ignominiosa, de qua mox.

MISSIONES.

Quae ad rem militarem pertinuit Missio, eam habuit vim, ut a militandi onere vindicaret. Quadruplex autem fuit,

Cum legitimis confectis stipendiis dimittebatur iles, ea sane MISSIO HONESTA dicta. Quot ve- annos arma tractanda essent, quo quis militia lveretur, de eo actum p. 199.
Iam porro MISSIO CAVSARIA erat, quae vale- dine affectis impertita.
GRATIOSA, quae ab imperatore per gratiam petrata, at non raro a censoribus rescissa. Vide Livium XLIII 16.)
IGNOMINIOSA denique, qua quis ob crimen a- uod a militia eiectus. Eius formula exstat apud rtium de Bell. Afr. 54.

§. VIII.

Da Machinis, Et Tormentis.

Incredibile dictu est, quantopere in tota re mi- ari urbium potissimum oppugnatio veterum du- m ingenia exercuerit, quantamque bellicorum)erum varietatem ex eorundem industria nullo n tempore extuderit. Res propterea satis digna, ıam nos postrema hac terrestris Romanorum Mi- iae parte, consueta quidem brevitate, at ingen- cura persequamur, quippe cum ex ea plurimum iscis annalibus lumen accedat. Iam vero non ıgula quaeque ad id ipsum spectantia, quaeque ›is historicorum narrationibus facile intelligantur, ucleare est animus; sed ea tantummodo, quae n prius percognita maximam monumenta vetera rlustrantibus difficultatem afferant necesse sit. missis igitur, quae sive ad militarem coronam rtinent, qua moenia cingerent; sive ad aggerum rriumque munitiones, queis circumvallarent; sive cuniculos, quibus subruere conarentur; et si

est. Quare nullum fuit culpae flagitiique genus, cui non suae essent animadversiones ac supplicia proposita: quae irrogare tribuni, aut praefecti plerumque fuit: nisi quod cum de capite ageretur, unus imperator, penes quem supremum puniendi erat arbitrium, reum poterat condemnare, sed vero etiam de consilii sententia tribunus ipse, praefectusve.

Poenarum autem omnium minima erat MVLTA; atque, ubi miles non statim solvendo esset, PIGNVS.

Longe plus gravitatis habebat VERBERATIO, qua et cives vite, et socii virgis caedi soliti.

Atrocissimum porro exstitit FVSTVARIVM, per quod reus fustibus lapidibusve a commilitonibus enectus.

Huic vero poenae, quae ad mortem adigebat, adiicienda etiam SECVRIS est.

Quod si multi pariter deliquissent, tum, ne in universos saeviretur, commodo, at horribili remedio DECIMATIO, VICESIMATIO, aut etiam CENTESIMATIO adhibita; ut scilicet e noxiis decimus, aut vicesimus, vel demum centesimus quisque sorte ductus morti daretur.

Ab his universis poenis alia prorsus erat IGNOMINIA; qua vel hordeum noxio militi pro frumento est datum; vel ipse aere dirutus; vel in inferiorem ordinem descendere, aut extra castra manere, aut lacera discinctaque veste in publicum prodire coactus. Nec absimilis generis fuit Missio ignominiosa, de qua mox.

MISSIONES.

Quae ad rem militarem pertinuit Missio, eam habuit vim, ut a militandi onere vindicaret. Quadruplex autem fuit,

Cum legitimis confectis stipendiis dimittebatur miles, ea sane Missio honesta dicta. Quot vero annos arma tractanda essent, quo quis militia solveretur, de eo actum p. 199.

Iam porro Missio Cavsaria erat, quae valetudine affectis impertita.

Gratiosa, quae ab imperatore per gratiam impetrata, at non raro a censoribus rescissa. (Vide Livium XLIII 16.)

Ignominiosa denique, qua quis ob crimen aliquod a militia eiectus. Eius formula exstat apud Hirtium de Bell. Afr. 54.

§. VIII.

Da Machinis, Et Tormentis.

Incredibile dictu est, quantopere in tota re militari urbium potissimum oppugnatio veterum ducum ingenia exercuerit, quantamque bellicorum operum varietatem ex eorundem industria nullo non tempore extuderit. Res propterea satis digna, quam nos postrema hac terrestris Romanorum Militiae parte, consueta quidem brevitate, at ingenti cura persequamur, quippe cum ex ea plurimum priscis annalibus lumen accedat. Iam vero non singula quaeque ad id ipsum spectantia, quaeque ipsis historicorum narrationibus facile intelligantur, enucleare est animus; sed ea tantummodo, quae non prius percognita maximam monumenta vetera perlustrantibus difficultatem afferant necesse sit. Omissis igitur, quae sive ad militarem coronam pertinent, qua moenia cingerent; sive ad aggerum turriumque munitiones, queis circumvallarent; sive ad cuniculos, quibus subruere conarentur; et si

qua huius generis alia sint : universum sermonem ad Machinas, et Tormenta convertimus.

MACHINAE.

Quanquam *Machinarum* nomen ampliore notione sumptum quaelibet instrumenta ad expugnandas urbes comparata complectitur; quo tamen sensu et apud Latinos scriptores non raro, et hoc loco a nobis accipitur, eum modo denotat apparatum, qui vel illarum expugnationi sterneret viam, vel tuendis oppugnatoribus deserviret.

I. Ex harum numero fuit TESTVDO, quam Graeci Συνασπισμὸν (*Scutorum densationem*) dixere, hoc pacto solita componi. Iustus quidam militum numerus, quadrato agmine facto, scutis super capita densatis, stantibus primis, secundis submissioribus, tertiis magis et quartis, postremis etiam genu nixis, fastigatam, qualem tecta aedificiorum, figuram formabat. Cumque ii soli, qui in prima fronte atque ad latera locati erant, non haberent super capita elata scuta, sed pugnantium more praeposita, per hoc fiebat, ut nec ipsos tela ex muro emissa subeuntes laederent; et testudini iniecta, imbris in modum lubrico fastigio innoxia ad imum delaberentur. Tum vero admota muro Testudine, vel hunc evertere connitebantur, vel alii Testudinem ipsam superstantes ex aequo cum propugnatoribus urbis decertabant. His ferme verbis rem totam describit Livius LXIV 9.

Id vero Testudinis genus forma aliquanto diversiore nonnunquam fuit, quae scilicet ad testudineam magis accederet. Haec sane exstitit, cum copiae in orbem componebantur. mediis altioribus quique circa erant, paullatim undique desidentibus, scutis vero eadem ratione coagmentatis. Quod tunc

aliquando factum, cum exercitus esset ab hostibus circumventus.

II. Cum hac autem modo dicta nihil commune habuit Testudo alia tabulis contexta, coriis ciliciisve operta, quadrangula et arcuata, suppositarumque rotarum agilitate mobilis: cuius is usus erat, ut sub ea milites ab ictibus hostium protecti subruendo muro operam darent: id quod potissimum ariete fieri solebat.

III. Plvtevs qua forma, qua structura, cuiusve emolumenti fuerit, satius erit a Vegetio ipso audire; qui Lib. IV 15. *Plutei*, inquit, *ad similitudinem absidis contexuntur e vimine; et ciliciis, vel coriis proteguntur; ternisque rotulis, quarum una in medio, duae in capitibus apponuntur, in quamcumque partem volueris, admoventur more carpenti: quos obsidentes applicant muris, eorumque munitione protecti, sagittis, sive fundis, vel missilibus defensores omnes de propugnaculis civitatis exturbant, ut scalis ascendendi facilior praestetur occasio.* Eandem vero machinam, quae heic unice viminea exhibetur, e tabulis fuisse olim constructam pro certo habetur.

IV. Iam Vinea ab eodem scriptore ibid. ita describitur: *E lignis levioribus machina* (i. e. Vinea, de qua illic sermo est) *colligatur, alta pedibus octo, lata septem, longa sedecim. Huius tectum duplici munitione, tabulatis cratibusque contexitur. Latera quoque vimine sepiuntur, ne saxorum telorumque impetu penetrentur. Extrinsecus autem, ne immisso concrementur incendio, crudis ac recentibus coriis, vel centonibus operitur. Cum plures factae fuerint, iunguntur in ordinem, sub quibus subsidentes tuti ad subruenda murorum penetrant fundamenta.*

V. Ad eandem plane rem non minimum con-

duxit MVSCVLVS : cuius figuram e Caesaris descriptione II Bell. Civil. 20, sic paucis deformatam accipe. Duae trabes longitudine pares humi stratae, quatuor inter se pedes aequabiliter distantes, per duo tigna ad extremitates apposita iungebantur. Tum in earum capitibus quatuor defigebantur columellae : iisque fastigatum tectum e trabibus quadratisque regulis compactum, et lateribus, coriis, centonibus contectum imponebatur. Hoc pacto constructum opus palangis subiectis ad murum admovebant, ut huius eversioni incubituros tutaretur.


VI. Maximo item ad protegendum militem usui fuere CRATES. Ita apud Ammianum XX: *Pars scalas vehentes, alii anteponentes VIMINEAS CRATES, veluti caeci pergebant antrorsus.* Sed et ad fossas immisto aggere explendas adhibitae non raro sunt (82).

VII. TVRRIS, aedificii instar in altum adsurgens, ea persaepe proceritate, ut omnia urbis munimenta superaret, pluribus instructa erat tabulatis: e quibus, prout res se se daret, vario oppugnatores conatu moenia invadebant. Ex ima enim parte aries (de quo postea agemus) educi ad labefactandum murum solebat; e media, ubi ita videretur, opus ad transcendendum; e superiore vero assiduus missilium coniectus propugnatores a defensione arcebat. Maximi certe roboris Machi-

---

(82) Quoniam eiusmodi Crates Graecis Γέῤῥαι vocabantur, hinc factum ut Latinis nugae *Gerrae* appellarentur, ex occasione relata a Festo his verbis : *Athenienses cum Syracusas obsiderent, et crebro Gerras poscerent, irridentes Siculi Gerras clamitabant. Hinc in proverbium cessit.* Inde etiam nugatores *Gerrones* nuncupati sunt: nec non *Congerrones*, homines de nugatoriis rebus confabulantes.

Tom I. pag. 242.



namentum. Ipsum autem contra hostiles impetus ferro obarmatum erat, necnon coriis centonibusque obtectum. Rotis demum levi negotio agebatur.

VIII. Quod vero pons e turri (ut modo dictum) emissus efficiebat, idem ferme praestitit TOLLENO: de quo verba Vegetii IV 21. proferre proderit: *TOLLENO dicitur, quoties una trabs in terram praealte defigitur, cui in summo vertice alia transversa trabs longior dimensa mediclate connectitur, eo libramento, ut si unum caput depresseris, aliud erigatur. In uno ergo capite cratibus, sive tabulatis contexitur machina, in qua pauci collocantur armati. Tunc per funes uno attracto depressoque, alio capite elevati imponuntur in murum.*

TORMENTA.

Restat modo, ut de iis machinis videamus, quae vel muros quaterent, vel saxa telave torquerent: quae peculiari vocabulo *Tormenta* dicta.

I. Inter haec primus prodeat ARIES, scilicet trabs praegrandis, capite munita ferreo, quod arietini capitis imaginem exhibebat. Eum olim robustissimi quique brachiis sustinentes adversus murum iteratis ictibus agere solebant. Deinde mos obtinuit, ut funibus de alia trabe, validis utrinque tignis suffulta, suspenderetur medius, ut leviore nisu, et reduci, et impelli posset. Tanta autem eius erat vis, ut nulla vel firmissima moenia diutius ferientis impetum sustinerent.

II. Non minus vero formidanda BALLISTA fuit, quae (a *βάλλω iacio* sic appellata) lapides emittebat non leviores ferme centum pondo, unde est, ut apud Nonium XVIII 12: *Ballistae centenariae*

dictae occurrant. Sed longe etiam eiusmodi gravitatem saxa inde librata aliquando excesserunt, quippe quae ad pondo usque tercentum sexaginta pertigisse testetur Vitruvius X 22. Hinc iure ac merito de tali missilium genere cecinit Lucanus III 469.

At saxum quoties ingenti ponderis ictu
Excutitur, qualis rupes, quam vertice montis
Abscidit impulsu ventorum adiuta vetustas,
Frangit cuncta ruens.

III. Quid porro discriminis inter Ballistam, et CATAPVLTAM aliud tormenti genus intercesserit, satis indicat ipsa nominis originatio, quam non certe irridendam protulit Lipsius III Poliorcet. 2. ut sit scilicet ἀπὸ τῆς πήλτης a iaculo. Ceterum quidquid de hoc sit, indubium profecto est, *Catapultam* apud veteres accuratioresque scriptores tormentum illud unice appellatum, quod iacula hastasque torqueret; quod vero saxa, *Ballistam*: licet posteriores utramque machinationem confuderint, et alteram pro altera usurparint.

IV. Non valde autem a catapultaria absimilis fuit SCORPIONIS ratio; qui pariter tela, et certe mirandum in modum penetrabilia, iaculabatur.

ATQVE haec bellica Tormenta fuere: de quibus cum iam nihil, quod ad rem nostram faciat, dicendum ultra supersit, universae tandem huic de Militia tractationi finem imponimus.

CAPVT IX.

De Militia Navali.

QVoniam inter veteres rerum scriptores nemo plane est, apud quem non saepissime navalium praeliorum mentio occurrat, quae adolescentulis ad hoc militiae genus rudibus maximum facessere negotium potis est; par ideo aequumque visum, ut postquam de terrestri quae satis forent tradidimus, de navali nunc ea prodamus, quae expeditiorem ad bellicas narrationes viam sternere posse videantur.

§. I.

De Navibus
Ad Militarem Vsum
Comparatis.

Naves mitilares, sive *longae* (quo potissimum nomine ob onerariis, ad orbiculatam magis figuram accedentibus, distingui solent) in duo distributae genera fuerunt, in *actuarias* scilicet, et *longas* stricte acceptas.

I. *Actuariae*, ex eo sortitae nomen, quod ceteris celerius agerentur, non unius omnes fuere magnitudinis. Quae itaque ex eis minore mole essent, tum *actuariola* dictae, tum eo remorum nu-


mero instructae sunt, qui octodecim fere non excederet. Eiusmodi omnino fuere, quas memorat Cicero XVI ad Att. 3. *Haec ego conscendens e Pompeiano tribus actuariolis decem scalmis.*

At quae vicenis pluribusve usque ad quadragenos uterentur remis, eae maiores habebantur. De his apud Livium XXXVIII 38. inter conditiones pacis com Antiocho initae sermo est, ubi praescribitur: *Ne plures, quam decem naves actuarias, nulla quarum plus quam XXX remis agatur, habeto.*

Vtriusque autem actuariarum navium generis is potissimum fuit in bellis usus, ut per eas quidquid opus esset exploraretur; unde factum, ut peculiari nomine *speculatoriae* dicerentur. De ipsis intelligendus est Livius XXXVI 42. cum inquit: *Ceterum classem Polyxenidam parare, et deducere iussit; speculatorias naves ad omnia exploranda circa insulas dimisit.*

II. Naves porro *longae*, quatenus actuariis opponuntur, eae nuncupatae fuerunt, quae prolixiore remorum serie instruebantur, quaeque propterea Graecis pro vario eorundem numero dictae tum πεντηκόντοροι, tum ἑκατόντοροι fuere (*quinquaginta*, aut *centum remis armatae*). Eiusmodi autem navibus peculiare illud fuit, ut cum nonnunquam remos uno, ut reliqua minora navigia, dispositos ordine haberent (cuius generis *Moneres* vocabantur), saepius tamen pluribus eos distributos versibus prae se ferrent; ex quo variis ipsae nominibus *Biremes*, *Triremes*, *Quadriremes*, *Quinqueremes*, *Hexeres*, *Hepteres* sunt nuncupatae.

At quo tandem pacto diversi remorum ordines locati fuerint, non vulgari contentione disputant eruditi. Et sunt quidem aliqui, quibus ea sedet sententia, huiuscemodi ordines non aliter quam in




BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III"
NAPOLI





longum, idest a puppi in proram decurrisse. Alii vero censent, non in longum eos quidem, sed in altum, nempe a carina sursum, fuisse constitutos, ea potissimum de causa, quod apud veteres auctores *summi* et *imi* vel fori vel nautae dicantur; quod certe, nisi haec opinio vera sit, intelligi nequeat. Verum hoc ipsum, quod veritati consonum videtur, non ita accipiendum est, ut pro eo ac nonnulli explicarunt, credi debeat, ea ratione diversos hosce ordines per navis altitudinem fuisse digestos, ut remi ipsi recta linea alii aliis imminerent, ita enim immensa altitudine opus fuisset: sed sic potius, ut in transversum disponerentur; quo sane pacto tum longe brevius spatium satis fuit, tum etiam tota illa remorum tractatio facilius potuit expedire.

Habes interim, quid maxime inter actuarias, et alias longas naves interfuerit. Sed illud praeterea discriminis haeic adiicere non abs re erit, illas scilicet omnes fuisse apertas, has vero plerasque tectas sive constratas: quod tamen quale fuerit, deinceps patebit.

§. II.

De Navali Bellico Apparatu.

Plura tam munimenta, quam arma dabitur hoc loco proferre, quae ad maritimas pugnas et vehementiori impetu, et feliciori successu peragendas maximopere conducebant.

I. Ex eorum genere primum fuere ΚΑΤΑΣΤΡΩΜΑΤΑ, tabulata nimirum queis consterni navigia solebant, ut inde commodius tractarentur arma, inprimisque tela validius promitterentur. Eius-

modi profecto naves illae fuerunt, quae *constratae* aut *tectae* dicebantur, cum aliae contra *apertae* vocarentur: quae tamen ipsae suis etiam contabulationibus in prora et puppi erant instructae.

II. Tectas porro naves cratibus pluteisque circumsepire mos fuit; qui, perinde atque in castris Lorica valli (de qua actum p. 225.) pugnantes illinc milites tutarentur: quod munimenti genus, Graecis appellatum Τεῖχος *Murus*, apud Latinos audiit PROPVGNACVLVM.

III. Ad haec TVRRIBVS, ad gravius inde impetendos hostes, praecipue vero ad oppugnandas urbes, communitas fuisse aliquando naves explorata res est. Sed praeterea eius generis navales Turres excogitatas sequiore aevo per Agrippam fuisse, quae cum antea non apparerent, ubi ad pugnam deventum esset, derepente surgentibus tabulatis excitarentur, narrat Servius ad VIII Aeneid. 693.

IV. Iam ad hostium naves perforandas mirum quantum valuere ROSTRA. Fuit id armorum genus, trabs e prora prominens, aere ferrove armata, et modo in unum, modo etiam in plures mucrones desinens, quo plura simul adverso navigio vulnera infligerentur. Qua de causa apud Valer. Flac. 687.

> . . . . *Volat immissis cava pinus habenis,*
> *Infinditque salum, et spumas vomit AERE TRIDENTI.*

V. Praeter rostrum aliquando etiam EPOTIDES fuere in prora, videlicet trabes ex utroque eius latere exporrectae, quae hinc, et illinc compactae ipsam firmarent magis, et ad sustinendos impetus redderent aptiorem. Earum apud Graecos potissimum usus obtinuit.

VI. Quo autem funes antennarum in hostilibus navigiis ad horum cursum debilitandum reciderent

tur, maxime potestatis fuere FALCES: quarum tractandarum rationem sic aperit Caesar III de Bell. Gall. 14. *Vna erat magno usui res praeparata a nostris Falces praeacutae, insertae affixaeque longuriis. His cum funes, qui antennas ad malos destinabant, comprehensi adductique erant, navigio remis incitato praerumpebantur: quibus abscissis antennae necessario concidebant.*

VII. Adhiberi praeterea solebant HARPAGONES, asseres unco ferreo muniti, et catenis suspensi, qui in hostium navem iniecti hanc ipsam arriperent pertraherentque. Vide Livium XXX 10.

VIII. Cum harpagone ipso confunditur a Q. Curtio IV 2. FERREA MANVS: quam tamen ab eo distinguendam esse, aliorum plurium auctoritas multo facit credibilius. Erat autem manus ferrea eiusmodi, ut tormento emissa postquam hostilem navem apprehenderat, retracta iterum tam firmiter proprio navigio illigabat, ut simul cohaerentibus iam pugna terrestri similis redderetur.

IX. Attrahendis etiam navibus deserviisse Corvos satis constat ex eiusdem descriptione apud Polybium I 22. At quaenam praecipue eius figura fuerit, non adhuc innotuit.

X. Denique DELPHINUS, qui inter reliqua armamenta navalia locum interdum habuit, massa fuit ferrea plumbeave immensi ponderis delphinis fortasse imaginem prae se ferens: qui e malo navis unde dependebat, in adversariam tanta vi coniiciebatur, ut perforandae demergendaeque esset aptissimus.

§. III.

De Classicis Nautis. Militibus, Et Rectoribus.

Multiplici, uti assolet, hominum genere tum ad navigationis, tum ad militiae usum instructae naves bellicae fuerunt. Quare Nautas, Milites, atque itineris bellique Rectores sibi in ministerium praesidiumque deditos habebant.

I. Nautae licet generatim fuerint, nauticis quibusvis operibus mancipati; in re tamen nostra distingui per scriptores a Remigibus consuevere. Ita apud Caesarem III de Bell. Gall. 9. *Interim naves longas aedificari, REMIGES ex provincia institui, NAVTAS gubernatoresque comparari iubet.*

Erant itaque Regimes, qui unice impellendis remis operam dabant. Hique in navibus plurium versuum, pro diverso, quem occupabant, loco, triplici appellatione insigniti a Graecis fuerunt. Qui enim in ima locati erant navigii parte (quae dicta θάλαμος) vocati θαλάμιοι sunt; qui in media (quae ζυγὰ audiit) ζυγῖται: qui vero in summa (quae nuncupata θρανος) θρανῖται. Vnde et illud confirmatur, quod de remorum ordinibus, per navium non quidem longitudinem, sed altitudinem dispositis supra tradidimus.

Nautae vero, ubi a remigum numero segregentur, dicti illi sunt, qui aliis, quam tractandorum remorum muneribus fungebantur. Itaque eorum erat malos erigere, antennas suspendere, pandere vela, exhaurire sentinam, anchoras demittere et educere, atque id genus alia peragere.

Tam porro Remiges, quam Nautas communi nomenclatura *Socios navales* vocatos esse liquet. Iidem omnes, qui perinde ac milites conscribebantur, genere erant libertino; id quod non semel veteres scriptores docent, ut e reliquis Livius XI 16. et XLII 27. Aliquando tamen ob difficultates reipublicae factum est, ut privati e suis servis nautas remigesque, etiam cum tanta stipendii parte, quantam cuiusque census ferre posset, suppeditarent. Adi Livium XXIV 11, et XXVI 35.

II. Milites e legionariorum grege desumpti quondam fuere. Postea vero in morem venit, ut certus in classem miles scriberetur; cui propterea discriminis ergo *Classiarii* et *Classici* cognomina adhaeserunt.

Duo autem militum genera in Romana classe, non secus atque in terrestri exercitu, habebantur; alterum civium, alterum sociorum. Etenim nunquam ea non viguit consuetudo, ut, ubi opus esset, certus navium, militum, remigumque numerus foederatis civitatibus a Romano ex foedere imperaretur. Exempla se passim exhibent.

III. Sequuntur Rectores, sive navalibus, sive militaribus rebus cum sua quique potestate praefecti, quos iam ordine singulos producemus.

1. Inter eos, quorum erat navium regimen, infimum ferme locum habuit PORTISCVLVS: qui pertica, sive malleo, sed vero etiam voce remiges ut progredi, aut pausare iubebat; ex quo praeterea et *Hortator* et *Pausarius* appellatus.

2. SYMPHONIACI ad remigandum et ipsi non hortando quidem, sed canendo, aut, citharam pulsando animos ciebant: quod ita testatur Asconius in Cic. Divinat. 17. *Cani remigibus celeusma per Symphoniacos servos solebat, et per assam vocem, idest ore prolatam, et per citharam.*

3. CVSTODES porro ii dicebantur, qui, quaecunque forent in navibus vel ad navigationem, vel ad militiam spectantia instrumenta, universa tuebantur: ad haec vero suam illuc etiam conferebant vigilantiam, ut ne navigium in itinere, praesertim nocturno, detrimenti quidpiam pateretur.

4. Earundem autem rerum suprema cura fuit PRORETAE: cuius ante alios partes erant tum navalem totum apparatum adservare, tum e prora stantem scopulos, brevia, ceteraque, unde periculum creari posset, explorare; tum vero etiam, iubente gubernatore, regendi clavi munus suscipere. Ex quo planum fit satis, eum gubernatoris ipsius veluti vicarium exstitisse.

5. Iam his omnibus hucusque recensis tanquam ministris praeerat GVBERNATOR. Is igitur in puppi, unde in totam navim prospectus erat, sedens ad gubernaculum suo cunctam rem nauticam imperio moderabatur.

6. At gubernatore ipso maior erat TRIERARCHVS, etiam *Praefectus* aut *Magister navis* nuncupatus, qui summam totius navigii, eorumque in primis, quae ad militiam attinerent, curam gerebat, ita ut nihil plane sine eius mandato agendum susciperetur.

7. In universam vero classem vicarium exercebat imperium, qui summo imperatori proximus aderat administer, sequiore vocatus aetate SVBPRAEFECTVS, antea fortasse LEGATVS.

8. Ipse autem supremus dux PRAEFECTVS CLASSIS audiit: cuius imperium, ex instituto ad omnes fere magistratus spectante, annuum spatium non excedebat, nisi quando extra ordinem prorogaretur.

9. Addendum postremo de Sociis est, quas naves foederatae civitates ad firmandam Romanam

classem mitterent, eas ab unaquaque alicui duci commissas esse, qui et ipsas administraret, et hominibus frumentum ac stipendia ex publico impertiretur. Hunc NAVARCHVM, aut PRAEFECTVM vocatum certo scitur. (Cic. V in Verr. 24. et Liv. XXXVI 45.)

§. IV.

De Classis Profectione, Et Appulsu.

Quam hactenus classem navibus, apparatu, hominibusque ornatam proposuimus; iam tandem e portu solventem, tum vero illuc, quo intendit, appellentem exhibebimus.

I. Ubi profectionis tempus adventaverat, deductis navibus cum suis omnibus armamentis impositaque annona, conscensio inde ordine fiebat. Itaque ad primum tubae signum priores conscendebant nautae: qui simul ac quaecunque opus esset expedierant, continuo remiges suis quique transtris remisque vel proretae arbitrio, vel sorte addicebantur. Tum altero dato signo, milites in sua singuli navigia ingrediebantur, eorumque puppibus arma religabant.

Antequam porro navigationi se committerent, sacra fiebant; praesertim Neptuno et Apollini, nec non Ventis secundis, et Tempestatibus, his ne nocerent, illis ut iuvarent. Hinc apud Poëtam III 118. Anchises iam ventis daturus classem,

> . . . *Meritos aris mactavit honores*;
> *Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo*:

Nigram Hiemi pecudem, Zephyris felicibus albam.

Id simul temporis lustrari solebat classis, cum victimarum exta per sacrificos una cum ducibus in scaphis positos ter circum eam ad triste quodlibet averruncandum gestarentur: quae postremo praefectus classis oleaginea corona ornatus e prora praetoriae navis porriciebat in mare, vinumque fundens libabat diis, precatus ante, ut felicem expeditionem esse iuberent. Id probe imitatus Maro de Aenea iam summum ducem agente cecinit V 774.

Ipse caput tonsae foliis evinctus olivae
Stans procul in prora, pateram tenet, extaque falsos
Porricit in fluctus.

Haec autem dum agebantur, plurima interim multitudo e litore fausta omnia apprecabatur, votaque pro classis incolumitate concipiebat. Huc refer illud Propertii Augustum alloquentis IV 6.

Solve metu patriam, quae te nunc vindice freta
Imposuit prorae publica vota tuae.

Iam universis huius generis absolutis, gubernatoribus praetor aut aperte significabat, quinam portus petendus esset; aut, ne res vulgata hostibus patefieret, obsignatas tabellas dabat, quibus, si quando a praetoria navi seiungerentur, perlectis scirent quo cursus foret dirigendus. Quod extremum ubi provisum fuerat, tunc denique tertium tubae signum proficisci imperabat.

Profectio ipsa eo pacto ordinari consuevit; ut prima omnium incederent leviora navigia, quibus tum loca, tum res hostium explorandi cura erat. Sequebatur inde praetoria; tum aliae bellicae naves; post has onerariae; ac postremo aliquot prae-

sidiariae, quae totum agmen cogerent tutarenturque. Inter ipsas autem naves eum ordinem servari in more fuit, ut vento secundo ternae, quaternae, quinae commearent; at adverso, ferme singulae. Aliquando etiam ita factitatum, ut, tres in partes distributa classe, aciem mediam cornua utrinque, aeque prope atque in terrestri exercitu, obtegerent.

II. Iam ubi ad destinatum consilio portum perventum erat, remiges inhibere iussi circumactas naves convertebant in puppim. Ita appulsis, peractisque primum de more sacris, si praefecto classis videretur, fiebat excensio; ac, si diuturnior mora ducenda foret, confestim castra ipso in litore struebantur.

Horum, quae *Castra navalia*, vel *nautica* appellata, eiusmodi erat communitio, ut a terra vallo fossaque prope in hemicycli formam ductis obsepirentur; a mari vero tum praeacutis palis in ipsa aqua defixis, tum nonnunquam etiam onerariis quasi pro muro praepositis. Interim speculatoriae aliquot emitti solebant, quae adventum hostium conspicarentur, ac mature nuntiarent. Aliquando autem, praesertim per hiemem, tota classis subducta vallo circumdabatur. Non minus vero in his castris, quam in aliis terrestrium copiarum, sua et ducibus, et militibus, quin et nautis destinata tentoria erant, et ordine fortasse haud illis absimili. Vid. Liv. XXII 19.

§. V.

De Navali Acie, Et Conflictu.

Vt omnis navalium praeliorum ratio liquido patescat, duo maxime excutere necesse est. Aciem, et Conflictum: quae iam nos heic breviter enucleabimus.

I. Vbi concurrendum erat, contractis primum velis, demissisque malis, per imperatorem acies instruebatur. Atque in hoc quidem tum navium ordinatio, tum ipsius aciei forma spectanda occurrit.

Naves ita locari solebant, ut vel in unum, vel in plures ordines disponerentur. Quando omnes uno ordine dirigebantur, tunc quidquid esset minus validum, statuebatur in medio, praecipuum autem robur in cornibus. At cum in plures ordines explicabantur, tunc firmissimae quaeque constituebantur in fronte, debiliores a tergo in subsidiis: sed et leviora navigia vel post omnes extremo loco seposita, vel reliquae classi immista, ut cum res posceret, operam et ipsa suam vel pugnando, vel, quod potissimum, ceteris navibus ministrando praestarent.

Quod ad formam, quam referre soleret acies, attinet, sciendum primo est, hanc nonnunquam aequa fuisse fronte directam, et quidem vel una nuspiam intermissa serie, vel duplici in dextrum, sinistrumque cornu distracta; vel etiam triplici, ut mediam aciem, interiecto hinc et illinc spatio, cornua concluderent.

Longe porro frequentior fuit *lunata* acies, quae arcuato sinu cornua utrinque protenderet, ad id sane quam utilis, tum ut circumveniri hostes possent, tum ne ab iisdem classis perrumperetur.

Huic autem formae opposita fuit *falcata*, per quam curvata acies eminentem convexitatem hosti obverteret, ad tute in primis ab eo recedendum non parum commoda.

Ad haec *orbiculatam* figuram retulit acies, cum, ne ab hostium multitudine circumclauderetur, in orbem ad quoquoversus pugnandum digerebatur. Fuit denique inter has formas locus etiam *Forcipi* et *Cuneo*: de quibus nihil heic (quoniam satis multa diximus in de Milit. Terr. p. 219. et seq.) adiicere habemus.

II. Iam acie instructa, omnibusque paratis ad praelium, sacra fieri, votaque pro victoria nuncupari solebant: dux classem totam adhortandi causa levi navigio circumire: signum pugnae, scilicet rubrum vexillum, clypeusve, e praetoria extolli: cani indidem classicum: quod postremo universae multitudinis clamor subsequebatur.

Pugna dein subito committebatur, eam prima ferme capessente navi praetoria. Ac tum maxime remigum et gubernatorum dexteritate opus erat, quippe qui ita, pro eo ac necesse foret, naves propellere, sistere, circumagere, retrahere deberent, ut et hostiles simul vexarent, quassarentque, et proprias ab earum ictibus defensarent. In his vero concursionibus ad haec praecipue curam advertebant, tum ut adversarum navium remos abstergerent, lateraque perfractu faciliora impeterent, tum contra ut ne suas hostium incursibus obliquas praeberent.

Dum autem ipsa inter se navigia millenis belli artibus confligebant, miles interim utrinque missi-

lium coniectu hostem incessebat, donec rei comminus gerendae facultas daretur. Tunc enim, postquam naves consertae inter se essent, quod ferme iniecta manu ferrea fieri solebat, iam tandem pugna e navali quasi in terrestrem conversa, collato pede gladiis decertabatur; eoque maxime intendebatur labor, ut trucidatis captisve hostibus naves ipsae in potestatem venirent.

§. VI.

De Praemiis.

Res navali praelio praeclare gestas sua sunt saepenumero Praemia consecuta: eaque tum in nautas militesque, tum maxime in praefectum classis collata.

I. Nautas quidem, nec non gubernatores, magistros navium, ac milites ob bene navatam operam pecunia potissimum fuisse solitos donari, docent vetusti annalium auctores. Ita, referente Livio XLV 42. Octavius imperator *dedit sociis navalibus in singulos denarios septuagenos quinque, gubernatoribus qui in navibus fuerant duplex, magistris navium quadruplex.* Quod praemii genus militia etiam impertitum videre licet ibid. cap. seq.

Singulare porro militum munus fuit Corona Navalis, sive classica, seu rostrata: quae ex auro conflata, rostrorumque decorata notis ei dabatur, qui, ut habetur apud Festum (v. *Navali*), *primus in hostium navem armatus transiliisset; cujusque opera manuque navis hostium capta fuisset.*

II. Iam imperatoris, qui victoriam classe retulerat, praecipuum, ut in terrestri bello, praemium Triumphus fuit: quem discriminis ergo *nava-*

lem cognomine Latinis dictum, ante reliquos omnes Duillius priore bello Punico de Poenis egit. (Epit. Liv. XVII.)

Eum autem haec ferme praecedebant. Primum a victore duce laureata navis laetum nuntium allatura praemittebatur: aliae deinde omnes spoliis hostium decoratae, palmis sertisque ornatae iter ingredi iubebantur: cum quibus profectus dux ipse elegantissima e ceteris una Tiberi ad urbem subvehebatur; certatim ei obviam ad ripas prodeuntibus ingenti multitudine primoribusque. Inde postquam res gestas in senatu exposuerat, aeque triumpho dignae patribus visae fuerant, tum denique constituta ille die hoc pacto trumphabat.

Praeibant funalium Gestatores, ac Fidicines nauticis concentibus praeludentes. Hoc sequebantur Imagines marium, ubi pugnatum fuerat; nautica Spolia, in primisque Rostra plaustris imposita; Tabulae inscriptum exhibentes numerum captarum navium; Pecunia hostibus erepta, et Coronae a foederatis populis donatae; postremo captivorum Turba, et cum his Praefecti Ducesque. Tum triumphatoris currum, qui pone subibat, assectabantur coronati laureis milites, gubernatores, nautae. Hac pompa in capitolium imperator vectus, sacra a se ibi in grati animi significationem facta navalium donorum dedicationibus concludebat.

Ad ipsorum vero victorum ducum nomen, victoriaeque memoriam aeternandam constitui nonnunquam etiam solebant vel Arcus e marmore, aliove lapide, variis navalium spoliorum insculptis insignibus exornati: vel Columnae rostratae, hostilium navigiorum rostris instructae, qualis Duillio primitus erecta. Spolia quoque ipsa, praecipueque rostra in templis ad perenne rei monumentum figere sollemne fuit.

CAPVT X.

De Amphitheatro.

A Militari re ad gladiatoriam transire animum subiit, quippe quod haec ob bellicae rationis imaginem non minimum cognationis vinculum cum illa habuit. Id autem ut recte et ordine praestemus, de loco prius, ubi eiusmodi gladiatoria certamina solebant conseri, qui praecipue AMPHITHEATRVM fuit, dicere necesse est.

§. I.

De Amphitheatri Forma, Materia, Et Nominibus.

Antequam ad singulas Amphitheatri partes describendas accedamus, unde totus eius aspectus expressior oculis subiiciatur, crassioribus heic veluti lineamentis adumbratam eius formam obiter exhibebimus; tum vero etiam materiam, ex qua illud conflatum, et nomina queis insignitum fuit, paucis adiiciemus.

I. Fuit id quidem opus ea figura, ut bina e regione posita, unaque iuncta theatra repraesentaret. Et sane non aliter primitus C. Curio Amphitheatrum Romano populo conspiciendum dedit,

quam duorum versatilium theatrorum ope, ea nimirum ratione, quam refert Plinius XXXVI 15. ubi de illo haec habet: *Theatra duo iuxta fecit amplissima e ligno, cardinum singulorum versatili suspensa libramento, in quibus utrisque antemeridiano ludorum spectaculo edito inter se se aversis, ne invicem obstreperent scenae; repente circumactis ut contra starent, postremo iam die... faciebat Amphitheatrum, et gladiatorum spectacula edebat.*

II. Vides hinc interim Romae prius Amphitheatra fuisse lignea: cuiusmodi etiam post Curionem extruxit Iulius Caesar, teste Dione p. 225. His autem deinde successere lapidea, quale primus aedificavit Statilius Taurus Augusti aetate: tum magnificentissimo opere Vespasianus, a Tito postea dedicatum, quod adhuc visitur.

III. Illud vero non minus ex eodem Pliniano loco per se elucet, qua ex re *Amphitheatri* nomen deductum fuerit, et quam apposite Ovidius huius appellationis vim expresserit, cum amphitheatralem molem *Structum utrinque theatrum* appellavit: quamque etiam idonee Calpurnius totum illud aedificium *Ovum* nuncuparit, cum cecinit in Bucolico:

Et geminis medium se molibus alligat OVVM.

Sed praeterea Amphitheatrum ipsum dictum *Arena* est ea de causa, quod eius solum arena sternebatur: unde quoque factum, ut *in arenam descendere* de gladiatoribus in certamen prodeuntibus fuerit adhibitum; et ipsi aliquando *Arenarii* appellati.

Cumque porro illud undique clausum in miram quandam sublimitatem exsurgeret, ab hac concava altitudine *Cavea* etiam vocatum est.

Denique posterior aetas *Colisaei* quoque nomen

ei paravit. Cuius vocis originem inde credidit Lipsius derivandam, quia (uti adnotavit in de Amphith. 2. in margine) *Neronis cum capite colossus in vicinia.* At Mazochius Comment. in Camp. Amphith. tit. 134. deducendam omnino eam aliunde docet, tum quod eiusmodi appellatio Amphitheatro Flavio adhaeserit, postquam iamdiu inde Hadrianus colossum alio transtulerat; tum vero etiam quod pronum sit nominis rationem ab ipsa Amphitheatri excelsitate petere. Etenim Hesychio teste Κολοσσία vocabatur, quidquid praeter morem subreptum conspiceretur: atque ex Etymologo Κολοσσος dictus est παρὰ τὸ κολύειν τὰ ὄσσε *ab imminuendis et decurtandis oculis*, qui nimirum, ut subdit Noster, *minores se esse sentiant, quam ut obtutu possint assequi excelsitatem.* Itaque quoniam Flavium illud Amphitheatrum ita in altum erigebatur, ut oculorum aciem fatigaret, eiusque *summitatem*, prout de ipso loquitur Ammianus Marcellinus XVI 17. *aegre visio humana conscenderet*, propterea hac donatum nomenclatura fuisse censet doctissimus Campanus.

§. II.

De Ima Amphitheatri Parte.

Totam iam Caveam per partes, quod supra polliciti sumus, deformaturi, ab ima describenda auspicabimur.

I. Amphitheatri aream, quam arena consterni solitam ante indicavimus, universam ambiebat murus, quindenos ferme pedes altus, et portulis passim dispositis instructus. Fuerunt hae autem illae

ipsae, per quas ferae e subiectis antris ad praelium emittebantur.

Praeter haec vero ostiola, duae aliae maiores in muro ipso visebantur portae contra se invicem positae, qua foris in arenam aditus erat. Earum alteram LIBITINENSEM dictam fuisse constat, quod illac demortui gladiatores efferrentur. Huic autem opposita, quae ad forum ducebat, quo nomine appellata fuerit, tacuit Lipsius.

Cum autem in actis SS. Perpetuae et Felicitatis, ubi de Amphitheatro sermo est, legatur: *Et coepi ire cum gloria ad portam Sanavivariam*; quae eadem vox paullo post iteratur: hanc plane portam Petrus Possinus in Paralipomenis ad ea Acta illam fuisse opinatur, quae e regione Libitinensis fuerit locata, sic vero dictam, quod per eam, contra hac per hanc, vivi vigentesque absoluto certamine abirent. Verum haec sententia cum non reiiciatur, non tamen omnino probatur Mazochio, eo potissimum, quod vox tantam redolens barbariem non plane congruat alteri Christi saeculo, quo Passio illa conscripta videatur. Itaque vir summus Commentario suo in Amphith. Camp. tit. p. 171. n. 110. videndum inquit, num ibi *Sandapilaria* potius legi debeat, et aliud id fuerit eiusdem Libitinensis nomen, inde desumptum, quod illac sandapilae cadaveribus onustae educerentur.

II. Iam summo in muro, de quo iniecta modo est mentio, statim PODIUM occurrebat, proiectura scilicet, quae (sicut et in aliis assolet aedificiis) foras pedis instar aliquantulum excurrebat, totamque ita arenam circuibat. Ipsius universum ambitum columellae cum epistyliis adornabant; quae nonnunquam etiam ad innitendum usui forent. Post podium locus erat ad spectandum comparatus, et, utpote prae ceteris dignior, honoratissi-

mis quibusque destinatus. Itaque ibi et extructus erat Suggestus Principis, et constitutum Tribunal editoris, et Magistratus suo stipati comitatu in sellis curulibus (modo hoc iure fruerentur) adsidebant, et Vestalibus assignatae sedes: quorum omnium fuit *ad Podium spectare.*

Ne vero illic positis, loco tam arenae propinquo, aliquid periculi a ferarum aggressionibus crearetur, caveri id solebat vel firmis retibus supra murum obtentis, vel clathris ferreis arenam totam concludentibus, vel etiam euripis eandem undelibet obsepientibus.

§. III.

De Reliquis Amphitheatri Partibus.

I. A loco, quem modo inspeximus, primoribus attributo initium statim ducebant Subsellia: quorum prima quatuor vel quinque Senatui mancipata erant, quae nomine a theatris (83) traducto Orchestra vocabantur. Supra Senatum quatuordecim gradus Equitibus addicti; ut propterea *sedere in quatuordecim* equestris dignitatis nota fuerit (84).

---

(83) Apud Graecos *Orchestra* ἀπὸ τοῦ ὀρχεῖσθαι (*a saltando*) dicta fuit ima Theatri pars inter proscenium et cuneos, quoniam ibi choro locus erat. At in Theatro Romano Orchestra sedes senatorum fuit. Atque hinc horum subsellia in Amphitheatro eandem sortita sunt nomenclaturam.

(84) Insignis est hanc in rem locus Tullii Fam. X 32. *Ludis, quos Gadibus fecit, Herennium Gallum histrionem summo ludorum die, annulo aureo donatum IN QVATVORDECIM SESSVM deduxit.*

Reliqui porro omnes plebi relicti (85).

Universa interim illa subselliorum series ita in tres partes tribuebatur, ut *ima*, *media*, et *summa Cavea* diceretur. Atque ima quidem Cavea ex Lipsio de Amphith. 14. Orchestram et Equestria complectebatur, media porro, et summa erat Popularibus assignata; at ea tamen ratione, ut media honestiores exciperet, reliqua multitudo ad summam reiiceretur. Hinc a Seneca de Tranquill. *verba ad summam caveam spectantia* dicuntur ea, quibus plebecula delectatur.

Verum Mazochio in iam laudato Comment. p. 127. et adnot. *β* non abs re fore videtur, imam mediamque caveam paullo aliter, quam a Lipsio factum fuerat, disponere. *Quid enim*, inquit, *im-*

---

(85) Nullum libera republica eiusmodi discrimen fuit, quod sub Principibus invectum; licet in theatro iam ante ex lege Roscia invaluisset, ut equites a plebe secernerentur. Quo autem tempore sua cuique ordini erant destinata subsellia, tum ne ab insolentioribus alienae sedes, quod aliquando fiebat, occuparentur, DISSIGNATORES, seu LOCARII aderant, qui istiusmodi invasores excitarent reiicerentque. Ea de causa Martialis, cui utpote iam tribuno militum inter equites spectare jus fasque erat, ita gloriatur III 95.

. . . . *Vidit me Roma tribunum;*
Et sedeo qua te suscitat Oceanus.

Ipsi autem dissignatoribus (quos ab editore constitutos licet credere) servi, et plebeii quiddam pretii pro loco pendebant. [illegible] 25. dicitur

[illegible]mes divitiae locariorum:

quippe cum ad eum spectandum concurrerent plurimi, unde amplior pecunia locariis redibat. Huc referendum est etiam, quod legitur apud Ciceronem pro Mur. 34. in ludis locum tribulibus atque amicis dari a potentioribus consuevisse;

pedimento est, quominus imam orchestra tantum definiamus, mediae vero caveae inferiorem partem, quae orchestrae propior, equiti, superiorem plebeis, quibus et summa cavea vacabat, assignemus? Ita summa subselliorum partitio exsistet in ORCHESTRAM, et POPVLARIA, tum haec rursus in EQVESTRIA, et POPVLARIA stricte accepta tribuentur. In id vero plura affert, quibus ostendat Popularibus etiam Equestria contineri: e quibus unum est illud Maronis II Georg. 509.

. . . . Hunc plausus hiantem
Per cuneos (geminatur enim) PLEBISQVE, PATRVMQVE
Corripuit.

Alterum Iuvenalis Sat. III:

Aequales habitus illic, similemque videbis
ORCHESTRAM, et POPVLVM.


Quibus locis Equestria nulla, ut ait, commemorantur, quod ea *populo* seu *popularibus* continerentur. Cetera brevitatis gratia praetermittimus.

II. Tria porro in Amphitheatro erant DIAZOMATA seu PRAECINCTIONES sive BALTEI, latiores scilicet quidam gradus, qui angustiores alios infra positos veluti complectebantur; ita sane interiecti, ut primus Orchestram ab Equestribus, alter haec a Popularibus, tertius universam caveam mediam a summa seiungeret. Erant illi quidem non ad considendum comparati, sed ut illac, quod iam videbitur, ingressus ad gradus sessiles patesceret.

[illegible] ADITVS seu VOMITARIA, ostiola in praecinctionibus aperta, [illegible] ingredientibus accessus ad subsellia dabatur.

IV. Hoc autem ipsum ut commode fieri posset, in singulis subselliorum ordinibus, videlicet in orchestra, equestribus, etc. angustae quaedam erant





1. *Portulae, unde ferae*
2. *Podium columellis orna*
3. *Suggestus Imperatoru*
4. *Diazomata*

graduum depressiorum series, per quos quisque facili descensu a praecinctione ad occupandum locum deveniret; easque VIAS, ITINERA, SCALARIA placuit appellari.

V. Quaelibet porro sedilium portio inter duas vias media, a forma quam referebat, CVNEVS vocabatur, quia infra contractior paullatim superne dilatabatur.

VI. Suprema in Amphitheatro CATHEDRA fuit, porticus nimirum arcuato opere superam totam oram circumiens, unde feminae in suis cathedris seorsum spectabant. Facit huc, quod cecinit Calpurnius Ecl. VII:

Venimus ad sedes, ubi pulla sordida veste
Inter femineas spectabat turba cathedras:
Nam quaecunque patent sub aperto libera caelo,
Aut eques, aut nivei loca densavere tribuni.

VII. Atque haec interior Amphitheatri facies erat. Exterius autem duplex in altum, aut vero triplex porticuum ordo totam circa molem praetexebat fulciebatque. Ibidem scalae extructae passim erant, per quas spectatorum turba ad aditus ascenderet, qua deinde in caveas se se diffunderet. Praeter eas autem porticus, alia in summo fuit ad spectandum comparata, quem Cathedram vocatam modo diximus. Supra hanc porro murus adsurgebat, non raris perforatus fenestris, et corona in fastigio posita exornatus. In ipso coronae ambitu aperta foramina erant, in quae immitti antennae possent, queis vela ad inumbranda sedilia expandi solita sustinerentur.

Totum id in Amphitheatri Flavii imagine, quam ex eius ruinis effingendam integram curavimus (praeter dimidiatam, quam ex Lipsiana deforma-

tione apposuimus), poteris intueri. Ubi etiam conspicaberis quadruplicem columnarum ad ornamentum erectarum seriem; easque vario structurae genere Tyrrhenicas, Doricas, Ionicas, Corinthias. Ibidem et gradum, per quem in amphitheatrum ipsum ascensus erat, videre licebit: quem sane etsi Flaviani reliquiae nullum ostentent, non tamen ei defuisse sat ex eo probabiliter colligi potest, quod ea pars veluti quiddam huiuscemodi substructionum proprium fuisse videatur, cum et in Campano apud Mazochium, et in aliis apud Lipsium compareat.

CAPVT XI.

De Ludis Gladiatoriis.

SAtis hucusque perspecto loco gladiatoriis spectaculis maxime destinato, ad horum nunc rationem animum adhibeamus; primumque omnium nonnulla ad rem totam gladiatoriam illustrandam idonea persequamur.

§. I.

De Gladiatoriae Rei Ortu, Et Progressu.

I. Gladiatorios ludos, non secus ac reliquos Romae celebrari solitos (circenses, scenicos, venationem), a Lydis ex Asia devectos in Etruriam primitus fuisse, atque inde Italiam longe lateque permeasse, communis ferme doctorum hominum opinio est (86). Causa autem, quae huic ludicri generi originem dederit, religio vulgo fuisse creditur. Etenim in more olim fuit positum, ut in fortium virorum funeribus captivi aliquot (87) enecarentur, quorum sanguine illorum animas expiatum iri rebantur. Sed cum postea crudele nimis id institutum videri coepisset, placuit ut iidem illi inter se decertantes se se ipsi defunctis victimas mactarent. Isque primus gladiatorii certaminis ortus fuit.

---

(86) Habes iam, unde ipsum *ludi* vocabulum apud Romanos extiterit, ab iisdem nimirum a quibus et res tradita est, a Lydis.

(87) Ea de causa apud Homerum Iliad. ψ Achilles in Patrocli pyram iniecit

Δώδεκα δὲ Τρώων μεγαθύμων υἱέας ἐσθλούς.
Bissenos juvenes Troiano sanguine cretos.

Et Virgilius in Pallantis funere de Aenea sic narrat Aen. 517.

. . . Sulmone creatos
Quatuor hic iuvenes, totidem quos educat Vfens,
Viventes rapit, inferias quos immolet umbris,
Captivoque rogi perfundat sanguine flammas.

Hinc autem factum, ut eiusmodi spectacula *Munera* dicerentur, queniam, ut inquit Tertullianus de Spectac. 12. *Officium mortuis hoc spectaculo facere se se veteres arbitrabantur.* Eadem de causa qui ludos ederet (qui vulgo *Editor*), etiam *Munerarius* vocatus; et gladiatores ipsi, utpote ad bustum perempti, *Bustuarii.*

II. Verum ab ementita hac pietatis imagine res sensim ad solam voluptatem translata est, usque eo, ut inter ipsas epulas ad oblectandos animos adhiberetur. Hunc efferatissimum morem mirifice iam olim adamarunt Campani; qui, prout refert Strabo V, *convivas vocabant ad paria gladiatorum; quorum numerum pro dignitate cuiusque convivii augebant minuebantve.* De ipsis loquitur Silius XI, cum canit:

Quin etiam exhilarare viris convivia caede
Mos olim, et miscere epulis spectacula dira
Certandum ferro, saepe et super ipsa cadentum
Pocula, respersis non parco sanguine mensis.

III. Idem porro consectatos fuisse Romanos auctor est Nicolaus Damascenus, cuius apud Athenaeum IV 13. haec sunt sensa: *Gladiatorum spectacula non per ferias tantum, et in theatris* (scilicet amphitheatris) *Romani exhibebant, sed et in conviviis. Quin et ad coenam saepe amicos vocare soliti, cum ob alia, tum ut bina, aut terna paria gladiatorum viderent.*

Id autem, quod exemplo Campanorum factum, Romae prius obtinuisse videtur, quam ut publice funeris causa iidem ludi ederentur: quod quando primum evenerit, docet Epitome Liviana XVI, ubi ita narratur: *D. Iunius Brutus munus gladiatorium in defuncti patris memoriam edidit primus:* scilicet A. V. CCCCLXXXVI. Deinde vero sac-

pius idem actum, nec fere alibi quam in foro, e non paucis Livii locis apparet.

Quanquam autem non dari antea gladiatores, nisi pro illustrium virorum obitu solerent; postea tamen, quae est ambitionis natura, privatorum etiam mentes huiuscemodi editionum cura occupavit. Itaque nonnulli de tam detestabili pompa solliciti, testamento cavebant, ut certa sibi post mortem gladiatorum paria committerentur. Cicero pro Sulla: *Ita prorsus*, inquit, *interpositi sunt gladiatores, sed quos testamento patris deberi videmus.*

Hac igitur ratione apud Romanos e domesticis parietibus in apertum gladiatorii ludi prodierunt. Sed eo tandem ventum est, ut ad unicum animorum oblectamentum in Amphitheatro identidem (aliquando etiam in foro, in septis, in circo) exhiberentur. Hinc et eos edendi certis magistratibus impositum munus est, praetoribus, aedilibus, necnon principum aevo quaestoribus. Atque ipsi non raro privati ad populi gratiam captandam gladiatores de suo dare studuerunt.

IV. Mirum quidem id omne: illud vero multo magis mirandum, quod cum gladiatores vulgo aut captivi essent venditi lanistis, dative ab imperatoribus acto triumpho in ludum, aut vero servi ad gladium damnati; nonnunquam porro liberi homines, etiam e primoribus urbis, vel desperatione suarum rerum, vel ambitione Principibus gratificandi, in gladiatorios se se greges cooptari curabant: iique proprio vocabulo *Auctorati* dicti; sicut, quam inde consequebantur mercedem, *Auctoramentum*. De ipsis Manilius IV 225.

Nunc caput in mortem vendunt, et funus arenae;

Atque hostem sibi quisque parat, cum bella quiescunt.

Vid. Liv. XXVIII 21.

§. II.

De Vitae Gladiatoriae Institutis.

Quoniam gladiatoria certamina in deliciis summopere habebantur, idcirco plurimum in eo studii poni consuevit, ut gladiatores iis ante viribus et arte instruerentur, per quas ad praelia fortissimi peritissimique accederent; unde amplior in spectatores iucunditas redundaret. Eam ob rem exstructi Ludi fuerant, ubi conclusi illi ad constitutam sibi vitae tum normam, tum institutionem degerent; quo et robur compararent, et depraeliandi rationem ediscerent. Et Romae quidem plures huiusmodi gladiatorii Ludi fuere, qui diversis appellationibus dicti LVDVS GALLICVS, DACICVS, MAGNVS, MATVTINVS, AEMILIVS (88). Quibus singulis de more praeerant tum *Lanista*, concertationum magister, de quo mox sermo erit; tum *Procurator*, qui summam ibi rerum administraret: sed vero etiam assignatus erat *Medicus*, qui mi-

(88) Horum nominum, si scire collibuerit, causas accipe, *Gallicus*, et *Dacicus* ludi dicti, quod ibi vel Galli, vel Daci gladiatores continerentur. *Magnus*, quod ceteris amplitudine praestaret. *Matutinus*, quod in eo bestiarii ad matutinas cum feris pugnas alerentur. *AEmilius* denique a suo, uti videtur, auctore nuncupatus.

nime vulgari studio valetudinem accuraret (89).

In his itaque Ludis gladiatores *dabantur in saginam*, ita scilicet, ut idoneo cibo potuque gladiatoriam illam, quae maxime expectabatur, totius corporis firmitatem sibi pararent. Huic rei proderat non minimum medici vigilantia, a quo quae ad sanitatem magis conducerent, praescribebantur. Hac eadem de causa regiones etiam a caeli salubritate praestantiores delectae aliquando sunt, ubi Ludi haberentur: uti Capuae in primis, et Ravennae habitos a Romanis fuisse constat ex Caesare I Civ. 14. atque ex Strabone V.

Concertandi vero artem edocebatur gladiatoria turba a Lanistis; qui etiam *Doctores* et *Magistri* dicti suis quisque eius rei gratia *familiis praeerant* (90). Cum his igitur tirones batuentes rudibus ad praelia exercebantur. Quod et per palaria factum (de cuius exercitii genere diximus p. 235.) apparet e Vegetio I 11. Postquam autem huiusmodi meditationibus illi satis apti pugnando evaserant, in arenam tandem ad verum certamen producebantur: quod nos iam videbimus.

---

(89) Inter veterum inscriptionum elogia occurrunt haec etiam: PROC. LVDI. MAGNI ... PROC. LVDI. MATVTINI ... MEDICVS. LVD. GALLIC. ... MEDICVS. LVDI. MATVTINI.

(90) Dici vere admodum poterant lanistae *familiam ducere*, uti animadvertit Lipsius I Saturnal. 15. etenim haec locutio iis omnibus communis fuit, qui quarumlibet societatem sectarumve principes ducesque essent. Ita apud Ciceronem VII Fam. 5. *Accedit etiam, quod FAMILIAM DVCIT* (Trebatius) *IN IVRE CIVILI*. Inde vero traductum hoc dicendi genus ad alia fuit. Quare Idem IV de Finib. 16. *Sed primum, inquit, illud vide, gravissimam illam vestram sententiam quae FAMILIAM DVCIT.*

§. III.

De Certamine Gladiatorio.

I. Cum gladiatores in pugnam educendi forent, editor propositis ante evulgatisque libellis tum ludorum diem, tum eorum, qui prodituri essent, nomina, universis palam faciebat: idque omnino fuit, *pronuntiare*, *ostendere*, *proponere munus*. Eo locutionis genere sic usus est Cicero IX Fam. 8. *MVNVS flagitare, quamvis quis OSTENDERIT, ne populus quidem solet, nisi concitatus.*

II. Ad dictam deinde diem ubi in arenam gladiatoria manus descendisset, primum a munerario ipso bini pro ratione virium componebantur: quam rem per haec verba, *Componere*, *comparare*, *committere*, exprimi placuit. Huc ex innumeris aliis spectat illud Horatii I Sat. 7.

. . . . *Rupili et Persi par pugnat, uti non*
COMPOSITVS, melius cum Bitho Bacchius.

III. Commissi iam gladiatores, antequam pugnam inirent, brachia et arma ad quandam speciem iactando, proludebant; quod sollemni vocabulo *ventilare* dictum. Idque ubi aliquandiu factum fuerat, tandem tubae signum manus inter se eos consere-re iubebat. Accommodate ad hunc totum morem Seneca Epist. 117. *Quam stultum est*, inquit, *cum signum pugnae acceperis, ventilare? Remove ista lusoria arma, decretoriis opus est.* Vbi omnia cum re gladiatoria optime congruunt: etenim arma, quae in illis prolusionibus adhibebantur, utpote ludi etiam gratia et in altum emitti, et inde eleganter excipi solita, nihil prorsus ad ferien-

dum valuerint oportuit; ut propterea, cum decertandum esset, a lusoriis hisce ad decretoria devenire necesse foret.

IV. Post id igitur arenarii praelium commissuri, defixis in se invicem oculis stabant: tum alter alterum petere, ictusque simul apta corporis declinatione exire conabatur. Ita apud Maronem V Aeneid. 437.

Stat gravis Entellus, nisuque immotus eodem,
CORPORE tela modo, atque oculis vigilantibus EXIT.

Indidem suum illud expressit Tullius I Catil. 6. *Quot ego tuas PETITIONES ita coniectas, ut vitari non posse viderentur, parva quadam DECLINATIONE, et, ut aiunt, CORPORE EFFVGI!*

In his autem aggressionibus praecipua cura erat latus, quod maxime petebatur, obtegendi: ex quo ortum duxere illa: *tecto discedere latere*; et contra, *latus dare*; *praebere*: quorum alterum esset, periculum evadere; alterum se se in discrimen obiicere. Et quoniam, pluribus simul paribus dimicantibus, contingebat aliquando, ut aliquis per alterius latus vulneraretur, ea de causa ab eodem Tullio in Vatin. 5. dicitur: *Omnia mea tela sic in te coniicientur, ut nemo PER TVVM LATVS (quod soles dicere) SAVCIETVR.*

V. Cum quis alteri vulnus inflixerat, clamabat: *Habet*, vel *Hoc habet*; perinde prorsus ac apud Poëtam Messapus XII Aeneid. 294.

. . . . . . *Teloque orantem multa trabali*
Desuper altus equo graviter ferit, atque ita fatur:
HOC HABET.

Quod ita explicat Servius: *Percussus est lethali vulnere.*

VI. Tum qui ab iniecta plaga deficientes iam sentiret vires, is, quo se victum fateretur, submittebat arma. Elegantissima est hinc translatio Senecae Consolatione ad Polybium: *Omnes scient, quomodo te in isto gesseris vulnere: utrum ne statim percussus ARMA SVBMISERIS, an IN STATV ET GRADV STETERIS.*

Exinde idem ille ad ultimam arenae oram accedens veniam a populo postulabat. Ex hoc more traxit illud Horatius I Epist. 1.

. . . . *Veianius, armis*
Herculis ad postem fixis, latet abditus agro,
Ne POPVLVM EXTREMA toties EXORET ARENA.

VII. Populus, penes quem vitae mortisque in his ludis potestas erat, pollicem vel premendo, vel vertendo, supplicem aut dimitti, aut interfici imperabat. Rem declarat Iuvenalis III:

Munera nunc edunt, et VERSO POLLICE vulgi
Quemlibet occidunt populariter.

Inde ortum Horatianum hoc I Epist. 18:

Fautor VTROQVE tuum laudabit POLLICE ludum.

VIII. Si igitur ita populo arrisisset, gladiator mittebatur. Atque hinc profectum, ut *dari gladiatores sine missione* dicerentur, cum nulla eis, nisi quam victoria daret, spes vitae relinquebatur. Argutae admodum Florus III 20, de Spartaci pugna: *Quod*, inquit, *sub gladiatore duce oportuit, SINE MISSIONE PVGNATVM EST.*

IX. Gladiator mortem subiturus *ferrum recipere*, animo nimirum et corpore intrepido, imperabatur. Qua de re Tullius pro Sext. 37. *Ipsum vero*, inquit, *quid accusas? num defuit gladiis? num repugnavit? num, ut gladiatoribus imperari*

solet, *FERRVM non RECEPIT?*

X. Occisorum cadavera statim efferebantur, cum propterea ante ipsa spectacula feretrum in ludi locum inferretur (91): atque in Spoliario portae libitinensi adiacente locabantur, donec omnino munera absoluta forent. Hinc illae acclamationes senatus in demortuum Commodum, quas refert Lampridius 18. *Gladiatorem in spoliario. Qui senatum occidit, in spoliario ponatur. Qui senatum occidit, unco trahatur*: etenim et hoc de enectis gladiatoribus factitatum, ut unco e media arena extraherentur. In spoliario ipso (inde dicto, quod ibi mortuorum spolia ponebantur) etiam semineces, ubi curari nequirent, confici solebant.

XI. Victorum praemia fuere PALMAE, PECVNIA, omniumque maximum RVDIS; qua qui donarentur (*Rudiarii* inde dicti), vacationem a gladiatoriis decertationibus assequebantur. Quare de se ipse praeclara metaphora Horatius I Epist. 1.

Spectatum satis, et DONATVM iam RVDE quaeris,
Moecenas, iterum antiquo me includere ludo.

§. IV.

De Multiplici Gladiatorum Genere.

Varia fuere gladiatorum genera, varia arma, varia quoque dimicandi ratio: quae omnia extremo hoc loco exsequemur.

---

(91) Apertus hac de re est Quintiliani locus Declam. IX: *Sonabat clangore ferali tubae, ILLATISQVE LIBITINAE THORIS ducebatur funus ante mortem.*

mis quibusque destinatus. Itaque ibi et extructus erat Suggestus Principis, et constitutum Tribunal editoris, et Magistratus suo stipati comitatu in sellis curulibus (modo hoc iure fruerentur) adsidebant, et Vestalibus assignatae sedes: quorum omnium fuit *ad Podium spectare*.

Ne vero illic positis, loco tam arenae propinquo, aliquid periculi a ferarum aggressionibus crearetur, caveri id solebat vel firmis retibus supra murum obtentis, vel clathris ferreis arenam totam concludentibus, vel etiam curipis eandem undelibet obsepientibus.

§. III.

De Reliquis
Amphitheatri Partibus.

I. A loco, quem modo inspeximus, primoribus attributo initium statim ducebant Subsellia: quorum prima quatuor vel quinque Senatui mancipata erant, quae nomine a theatris (83) traducto ORCHESTRA vocabantur. Supra Senatum quatuordecim gradus Equitibus addicti; ut propterea *sedere in quatuordecim* equestris dignitatis nota fuerit (84).

---

(83) Apud Graecos *Orchestra* ἀπὸ τοῦ ὀρχεῖσθαι (*a saltando*) dicta fuit ima Theatri pars inter proscenium et cuneos, quoniam ibi choro locus erat. At in Theatro Romano Orchestra sedes senatorum fuit. Atque hinc horum subsellia in Amphitheatro eandem sortita sunt nomenclaturam.

(84) Insignis est hanc in rem locus Tullii Fam. X 32. *Ludis, quos Gadibus fecit, Herennium Gallum histrionem summo ludorum die, annulo aureo donatum IN QVATVORDECIM SESSVM deduxit.*

Reliqui porro omnes plebi relicti (85).

Universa interim illa subselliorum series ita in tres partes tribuebatur, ut *ima*, *media*, et *summa Cavea* diceretur. Atque ima quidem Cavea ex Lipsio de Amphith. 14. Orchestram et Equestria complectebatur, media porro, et summa erat Popularibus assignata; at ea tamen ratione, ut media honestiores exciperet, reliqua multitudo ad summam reiiceretur. Hinc a Seneca de Tranquill. *verba ad summam caveam spectantia* dicuntur ea, quibus plebecula delectatur.

Verum Mazochio in iam laudato Comment. p. 127. et adnot. *β* non abs re fore videtur, imam mediamque caveam paullo aliter, quam a Lipsio factum fuerat, disponere. *Quid enim*, inquit, *im-*

---

(85) Nullum libera republica eiusmodi discrimen fuit, quod sub Principibus invectum; licet in theatro iam ante ex lege Roscia invaluisset, ut equites a plebe secernerentur. Quo autem tempore sua cuique ordini erant destinata subsellia, tum ne ab insolentioribus alienae sedes, quod aliquando fiebat, occuparentur, DISSIGNATORES, seu LOCARII aderant, qui istiusmodi invasores excitarent reiicerentque. Ea de causa Martialis, cui utpote iam tribuno militum inter equites spectare jus fasque erat, ita gloriatur III 95.

. . . . Vidit me Roma tribunum;
Et sedeo qua te suscitat Oceanus.

Ipsi autem dissignatoribus (quos ab editore constitutos licet credere) servi, et plebeii quiddam pretii pro loco pendebant. [illegible] 25. dicitur

[illegible]ermes divitiae locariorum:

quippe cum ad eum spectandum concurrerent plurimi, unde amplior pecunia locariis redibat. Huc referendum est etiam, quod legitur apud Ciceronem pro Mur. 34. in ludis locum tribulibus atque amicis dari a potentioribus consuevisse;

pedimento est, quominus imam orchestra tantum definiamus, mediae vero caveae inferiorem partem, quae orchestrae propior, equiti, superiorem plebeiis, quibus et summa cavea vacabat, assignemus? Ita summa subselliorum partitio exsistet in ORCHESTRAM, *et* POPVLARIA, *tum haec rursus in* EQVESTRIA, *et* POPVLARIA *stricte accepta tribuentur.* In id vero plura affert, quibus ostendat Popularibus etiam Equestria contineri: e quibus unum est illud Maronis II Georg. 509.

. . . . Hunc plausus hiantem
Per cuneos (geminatur enim) PLEBISQVE, PATRVMQVE
Corripuit.

Alterum Iuvenalis Sat. III:

Aequales habitus illic, similemque videbis
ORCHESTRAM, *et* POPVLVM.


Quibus locis Equestria nulla, ut ait, commemorantur, quod ea *populo*, seu *popularibus* continerentur. Cetera brevitatis gratia praetermittimus.

II. Tria porro in Amphitheatro erant DIAZOMATA seu PRAECINCTIONES sive BALTEI, latiores scilicet quidam gradus, qui angustiores alios infra positos veluti complectebantur; ita sane interiecti, ut primus Orchestram ab Equestribus, alter haec a Popularibus, tertius universam caveam mediam a summa seiungeret. Erant illi quidem non ad considendum comparati, sed ut illac, quod iam videbitur, ingressus ad gradus sessiles patesceret.

[illegible] ADITVS seu VOMITARIA, ostiola in praecinctionibus aperta, [illegible] ingredientibus accessus ad subsellia dabatur.

IV. Hoc autem ipsum ut commode fieri posset, in singulis subselliorum ordinibus, videlicet in orchestra, equestribus, etc. angustae quaedam erant





1. Portulae, unde ferae
2. Podium columellis orn
3. Suggestus Imperatoru
4. Diazomata.

graduum depressiorum series, per quos quisque facili descensu a praecinctione ad occupandum locum deveniret; easque VIAS, ITINERA, SCALARIA placuit appellari.

V. Quaelibet porro sedilium portio inter duas vias media, a forma quam referebat, CVNEVS vocabatur, quia infra contractior paullatim, superne dilatabatur.

VI. Suprema in Amphitheatro CATHEDRA fuit, porticus nimirum arcuato opere superam totam oram circumiens, unde feminae in suis cathedris seorsum spectabant. Facit huc, quod cecinit Calpurnius Ecl. VII:

Venimus ad sedes, ubi pulla sordida veste
Inter femineas spectabat turba cathedras:
Nam quaecunque patent sub aperto libera caelo,
Aut eques, aut nivei loca densavere tribuni.

VII. Atque haec interior Amphitheatri facies erat. Exterius autem duplex in altum, aut vero triplex porticuum ordo totam circa molem praetexebat fulciebatque. Ibidem scalae extructae passim erant, per quas spectatorum turba ad aditus ascenderet, qua deinde in caveas se se diffunderet. Praeter eas autem porticus, alia in summo fuit ad spectandum comparata, quem Cathedram vocatam modo diximus. Supra hanc porro murus adsurgebat, non raris perforatus fenestris, et corona in fastigio posita exornatus. In ipso coronae ambitu aperta foramina erant, in quae immitti antennae possent, queis vela ad inumbranda sedilia expandi solita sustinerentur.

Totum id in Amphitheatri Flavii imagine, quam ex eius ruinis effingendam integram curavimus (praeter dimidiatam, quam ex Lipsiana deforma-

tione apposuimus), poteris intueri. Ubi etiam conspicaberis quadruplicem columnarum ad ornamentum erectarum seriem; easque vario structurae genere Tyrrhenicas, Doricas, Ionicas, Corinthias. Ibidem et gradum, per quem in amphitheatrum ipsum ascensus erat, videre licebit: quem sane etsi Flaviani reliquiae nullum ostentent, non tamen ei defuisse sat ex eo probabiliter colligi potest, quod ea pars velnti quiddam huiuscemodi substructionum proprium fuisse videatur, cum et in Campano apud Mazochium, et in aliis apud Lipsium compareat.

CAPVT XI.

De Ludis Gladiatoriis.

SAtis hucusque perspecto loco gladiatoriis spectaculis maxime destinato, ad horum nunc rationem animum adhibeamus; primumque omnium nonnulla ad rem totam gladiatoriam illustrandam idonea persequamur.

§. I.

De Gladiatoriae Rei Ortu, Et Progressu.

I. Gladiatoriós ludos, non secus ac reliquos Romae celebrari solitos (circenses, scenicos, venationem), a Lydis ex Asia devectos in Etruriam primitus fuisse, atque inde Italiam longe lateque permeasse, communis ferme doctorum hominum opinio est (86). Causa autem, quae huic ludicri generi originem dederit, religio vulgo fuisse creditur. Etenim in more olim fuit positum, ut in fortium virorum funeribus captivi aliquot (87) enecarentur, quorum sanguine illorum animas expiatum iri rebantur. Sed cum postea crudele nimis id institutum videri coepisset, placuit ut iidem illi inter se decertantes se se ipsi defunctis victimas mactarent. Isque primus gladiatorii certaminis ortus fuit.

---

(86) Habes iam, unde ipsum *ludi* vocabulum apud Romanos extiterit, ab iisdem nimirum a quibus et res tradita est, a Lydis.

(87) Ea de causa apud Homerum Iliad. ψ Achilles in Patrocli pyram iniecit

Δώδεκα δε Τρώων μεγαθύμων υἱεας ἐσθλὰς.
Bissenos juvenes Troiano sanguine cretos.

Et Virgilius in Pallantis funere de Aenea sic narrat Aen. 517.

. . . Sulmone creatos
Quatuor hic iuvenes, totidem quos educat Vfens,
Viventes rapit, inferias quos immolet umbris,
Captivoque rogi perfundat sanguine flammas.

Hinc autem factum, ut eiusmodi spectacula *Munera* dicerentur, queniam, ut inquit Tertullianus de Spectac. 12. *Officium mortuis hoc spectaculo facere se se veteres arbitrabantur.* Eadem de causa qui ludos ederet (qui vulgo *Editor*), etiam *Munerarius* vocatus; et gladiatores ipsi, utpote ad bustum perempti, *Bustuarii.*

II. Verum ab ementita hac pietatis imagine res sensim ad solam voluptatem translata est, usque eo, ut inter ipsas epulas ad oblectandos animos adhiberetur. Hunc efferatissimum morem mirifice iam olim adamarunt Campani; qui, prout refert Strabo V, *convivas vocabant ad paria gladiatorum; quorum numerum pro dignitate cuiusque convivii augebant minuebantve.* De ipsis loquitur Silius XI, cum canit:

Quin etiam exhilarare viris convivia caede
Mos olim, et miscere epulis spectacula dira
Certandum ferro, saepe et super ipsa cadentum
Pocula, respersis non parco sanguine mensis.

III. Idem porro consectatos fuisse Romanos auctor est Nicolaus Damascenus, cuius apud Athenaeum IV 13. haec sunt sensa: *Gladiatorum spectacula non per ferias tantum, et in theatris* (scilicet amphitheatris) *Romani exhibebant, sed et in conviviis. Quin et ad coenam saepe amicos vocare soliti, cum ob alia, tum ut bina, aut terna paria gladiatorum viderent.*

Id autem, quod exemplo Campanorum factum, Romae prius obtinuisse videtur, quam ut publice funeris causa iidem ludi ederentur: quod quando primum evenerit, docet Epitome Liviana XVI, ubi ita narratur: *D. Iunius Brutus munus gladiatorium in defuncti patris memoriam edidit primus:* scilicet A. V. CCCCLXXXVI. Deinde vero sac-

pius idem actum, nec fere alibi quam in foro, e non paucis Livii locis apparet.

Quanquam autem non dari antea gladiatores, nisi pro illustrium virorum obitu solerent; postea tamen, quae est ambitionis natura, privatorum etiam mentes huiuscemodi editionum cura occupavit. Itaque nonnulli de tam detestabili pompa solliciti, testamento cavebant, ut certa sibi post mortem gladiatorum paria committerentur. Cicero pro Sulla: *Ita prorsus*, inquit, *interpositi sunt gladiatores, sed quos testamento patris deberi videmus.*

Hac igitur ratione apud Romanos e domesticis parietibus in apertum gladiatorii ludi prodierunt. Sed eo tandem ventum est, ut ad unicum animorum oblectamentum in Amphitheatro identidem (aliquando etiam in foro, in septis, in circo) exhiberentur. Hinc et eos edendi certis magistratibus impositum munus est, praetoribus, aedilibus, necnon principum aevo quaestoribus. Atque ipsi non raro privati ad populi gratiam, captandam gladiatores de suo dare studuerunt.

IV. Mirum quidem id omne: illud vero multo magis mirandum, quod cum gladiatores vulgo aut captivi essent venditi lanistis, dative ab imperatoribus acto triumpho in ludum, aut vero servi ad gladium damnati; nonnunquam porro liberi homines, etiam e primoribus urbis, vel desperatione suarum rerum, vel ambitione Principibus gratificandi, in gladiatorios se se greges cooptari curabant: iique proprio vocabulo *Auctorati* dicti; sicut, quam inde consequebantur mercedem, *Auctoramentum*. De ipsis Manilius IV 225.

Nunc caput in mortem vendunt, et funus arenae;

Atque hostem sibi quisque parat, cum bella quiescunt.

Vid. Liv. XXVIII 21.

§. II.

De Vitae Gladiatoriae Institutis.

Quoniam gladiatoria certamina in deliciis summopere habebantur, idcirco plurimum in eo studii poni consuevit, ut gladiatores iis ante viribus et arte instruerentur, per quas ad praelia fortissimi peritissimique accederent; unde amplior in spectatores iucunditas redundaret. Eam ob rem exstructi Ludi fuerant, ubi conclusi illi ad constitutam sibi vitae tum normam, tum institutionem degerent; quo et robur compararent, et depraeliandi rationem ediscerent. Et Romae quidem plures huiusmodi gladiatorii Ludi fuere [1], qui diversis appellationibus dicti LVDVS GALLICVS, DACICVS, MAGNVS, MATVTINVS, AEMILIVS (88). Quibus singulis de more praeerant tum *Lanista*, concertationum magister, de quo mox sermo erit; tum *Procurator*, qui summam ibi rerum administraret: sed vero etiam assignatus erat *Medicus*, qui mi-

---

(88) Horum nominum, si scire collibuerit, causas accipe. *Gallicus*, et *Dacicus* ludi dicti, quod ibi vel Galli, vel Daci gladiatores continerentur. *Magnus*, quod ceteris amplitudine praestaret. *Matutinus*, quod in eo bestiarii ad matutinas cum feris pugnas alerentur. *AEmilius* denique a suo, uti videtur, auctore nuncupatus.

nime vulgari studio valetudinem accuraret (89).

In his itaque Ludis gladiatores *dabantur in saginam*, ita scilicet, ut idoneo cibo potuque gladiatoriam illam, quae maxime expectabatur, totius corporis firmitatem sibi pararent. Huic rei proderat non minimum medici vigilantia, a quo quae ad sanitatem magis conducerent, praescribebantur. Hac eadem de causa regiones etiam a caeli salubritate praestantiores delectae aliquando sunt, ubi Ludi haberentur: uti Capuae in primis, et Ravennae habitos a Romanis fuisse constat ex Caesare I Civ. 14. atque ex Strabone V.

Concertandi vero artem edocebatur gladiatoria turba a Lanistis; qui etiam *Doctores* et *Magistri* dicti suis quique eius rei gratia *familiis praeerant* (90). Cum his igitur tirones batuentes rudibus ad praelia exercebantur. Quod et per palaria factum (de cuius exercitii genere diximus p. 235.) apparet e Vegetio I 11. Postquam autem huiusmodi meditationibus illi satis apti pugnando evaserant, in arenam tandem ad verum certamen producebantur: quod nos iam videbimus.

---

(89) Inter veterum inscriptionum elogia occurrunt haec etiam: PROC. LVDI. MAGNI ... PROC, LVDI. MATVTINI ... MEDICVS. LVD. GALLIC. ... MEDICVS. LVDI. MATVTINI.

(90) Dici vere admodum poterant lanistae *familiam ducere*, uti animadvertit Lipsius I Saturnal. 15. etenim haec locutio iis omnibus communis fuit, qui quarumlibet societatem sectarumve principes ducesque essent. Ita apud Ciceronem VII Fam. 5. *Accedit etiam, quod FAMILIAM DVCIT* (Trebatius) *IN IVRE CIVILI*. Inde vero traductum hoc dicendi genus ad alia fuit. Quare Idem IV de Finib. 16. *Sed primum*, inquit, *illud vide*, *gravissimam illam vestram sententiam quae FAMILIAM DVCIT.*

§. III.

De Certamine Gladiatorio.

I. Cum gladiatores in pugnam educendi forent, editor propositis ante evulgatisque libellis tum ludorum diem, tum eorum, qui prodituri essent, nomina, universis palam faciebat: idque omnino fuit, *pronuntiare*, *ostendere*, *proponere munus*. Eo locutionis genere sic usus est Cicero IX Fam. 8. *MVNVS flagitare, quamvis quis OSTENDERIT, ne populus quidem solet, nisi concitatus.*

II. Ad dictam deinde diem ubi in arenam gladiatoria manus descendisset, primum a munerario ipso bini pro ratione virium componebantur: quam rem per haec verba, *Componere*, *comparare*, *committere*, exprimi placuit. Huc ex innumeris aliis spectat illud Horatii I Sat. 7.

. . . . *Rupili et Persi par pugnat, uti non*
COMPOSITVS, melius cum Bitho Bacchius.

III. Commissi iam gladiatores, antequam pugnam inirent, brachia et arma ad quandam speciem iactando, proludebant; quod sollemni vocabulo *ventilare* dictum. Idque ubi aliquandiu factum fuerat, tandem tubae signum manus inter se eos conserere iubebat. Accommodate ad hunc totum morem Seneca Epist. 117. *Quam stultum est*, inquit, *cum signum pugnae acceperis, ventilare? Remove ista lusoria arma, decretoriis opus est.* Vbi omnia cum re gladiatoria optime congruunt: etenim arma, quae in illis prolusionibus adhibebantur, utpote ludi etiam gratia et in altum emitti, et inde eleganter excipi solita, nihil prorsus ad ferien-

dum valuerint oportuit; ut propterea, cum decertandum esset, a lusoriis hisce ad decretoria devenire necesse foret.

IV. Post id igitur arenarii praelium commissuri, defixis in se invicem oculis stabant: tum alter alterum petere, ictusque simul apta corporis declinatione exire conabatur. Ita apud Maronem V Aeneid. 437.

> *Stat gravis Entellus, nisuque immotus eodem,*
> *CORPORE tela modo, atque oculis vigilantibus EXIT.*

Indidem suum illud expressit Tullius I Catil. 6. *Quot ego tuas PETITIONES ita coniectas, ut vitari non posse viderentur, parva quadam DECLINATIONE, et, ut aiunt, CORPORE EFFVGI!*

In his autem aggressionibus praecipua cura erat latus, quod maxime petebatur, obtegendi: ex quo ortum duxere illa: *tecto discedere latere*; et contra, *latus dare*; *praebere*: quorum alterum esset, periculum evadere; alterum se se in discrimen obiicere. Et quoniam, pluribus simul paribus dimicantibus, contingebat aliquando, ut aliquis per alterius latus vulneraretur, ea de causa ab eodem Tullio in Vatin. 5. dicitur: *Omnia mea tela sic in te coniicientur, ut nemo PER TVVM LATVS (quod soles dicere) SAVCIETVR.*

V. Cum quis alteri vulnus inflixerat, clamabat: *Habet*, vel *Hoc habet*; perinde prorsus ac apud Poëtam Messapus XII Aeneid. 294.

> . . . . *Teloque orantem multa trabali*
> *Desuper altus equo graviter ferit, atque ita fatur:*
> *HOC HABET.*

Quod ita explicat Servius: *Percussus est lethali vulnere.*

solet, *FERRVM non RECEPIT?*

X. Occisorum cadavera statim efferebantur, cum propterea ante ipsa spectacula feretrum in ludi locum inferretur (91): atque in Spoliario portae libitinensi adiacente locabantur, donec omnino munera absoluta forent. Hinc illae acclamationes senatus in demortuum Commodum, quas refert Lampridius 18. *Gladiatorem in spoliario. Qui senatum occidit, in spoliario ponatur. Qui senatum occidit, unco trahatur*: etenim et hoc de enectis gladiatoribus factitatum, ut unco e media arena extraherentur. In spoliario ipso (inde dicto, quod ibi mortuorum spolia ponebantur) etiam semineces, ubi curari nequirent, confici solebant.

XI. Victorum praemia fuere Palmae, Pecvnia, omniumque maximum Rvdis; qua qui donarentur (*Rudiarii* inde dicti), vacationem a gladiatoriis decertationibus assequebantur. Quare de se ipse praeclara metaphora Horatius I Epist. 1.

Spectatum satis, et DONATVM iam RVDE quaeris,
Moecenas, iterum antiquo me includere ludo.

§. IV.

De Multiplici Gladiatorum Genere.

Varia fuere gladiatorum genera, varia arma, varia quoque dimicandi ratio: quae omnia extremo hoc loco exsequemur.

---

(91) Apertus hac de re est Quintiliani locus Declam. IX: *Sonabat clangore ferali tubae, ILLATISQVE LIBITINAE THORIS ducebatur funus ante mortem.*

I. Secutor, qui cum Retiario compositus, ex eo sibi nomen adscivit, quod adversarium, ut mox subiicietur, plerumque insequeretur. Pro armis illi attributa Gladius, Clypeus, et Galea. Retiarii vero arma fuerunt Rete, et Fuscina; caput autem Galero obtectum.

Pugnae inter eos id genus erat. Retiarius in hostem rete ad obvolvendum coniiciebat: et, si quidem res successisset, tridente dein ferire nitebatur: at si minus, tum, ut spatium ad illud iterum colligendum compararet, raptim huc illuc fugiebat; ac per id temporis intento eum gladio Secutor confossuriis insectabatur, donec rursus ille conversus rete iaceret. Ita per has vices, dum alter alterum sauciaret, dimicatio trahebatur.

II. Mirmillo cum Threce committi est solitus. Eorum alter Gallico more armatus Gladio fuit, Scuto, et Galea, cui piscis imago inerat. Alterius arma erant Sica, et Parma: quae communi nomine dicta *Threcidica.*

Quando autem Mirmillo, quod non raro factum, cum Retiario comparabatur, tum is hoc inter pugnandum carmen canebat: *NON TE PETO, PISCEM PETO: QVID ME FVGIS, GALLE?* (Festus voc. *Retiario*).

III. Aliud par fuit Samnis, et Provocator. Samniti (quem sequiore aetate *Hoplomachum* vocatum docet Lipsius II Saturnal. 11.) sicut nomen, ita et armaturam a populo cognomine desumptam primi attribuerunt Campani, ut refert Livius IX 40. Ille igitur more Samnitium Spongia habebat munitum pectus, Scutum argento caelatum, sinistrum crus Ocrea convestitum, caput cristata Galea opertum. Ex quo postremo ornatus genere eius adversarius etiam *Pinnirapus* dictus est. Is vero tum Clypeo armatus

fuisse videtur: tum verò maxime GLADIO ad feriendum, non secus ac ille.

IV. ESSEDARII appellati sunt, qui ex essedis, auriga regente equos, praelia conserebant. Eos autem opinatur Lipsius ibid. 12. postquam ita aliquandiu dimicassent, e curru demum desilientes peditum more depugnasse.

V. ANDABATAE (Graecis Ἀναβάται, utrumque ab *ἀναβαίνω conscendo*) oculis galea tectis praeliabantur ex equis. Hinc natum proverbium est, quo utitur Hieronymus contra Iovinianum: *Melius est, quod dicitur, clausis oculis ANDABATARVM MORE PVGNARE, quam directa spicula clypeo non repellere veritatis.*

VI. Memorantur praeterea Lipsio ibid. 13. tum ex Artemidori testimonio DIMACHAERI, qui duobus gladiis, ut vox indicat, dimicarint; tum etiam LAQVEARII ex Isidori auctoritate, qui eos laqueo ad prosternendum enecandumque hostem usos affirmat.

VII. Gladiatores porro FISCALES dicti fuere, qui Augustorum proprii de fisco alebantur. Ab eisdem non alios esse, qui Senecae Epist. 7. POSTVLATITII vocantur, credibile admodum est; quippe quod eos ob singularem artem, ornatumque a Principe saepe populus postularet.

VIII. Denique MERIDIANI nuncupati quaedam veluti bestiariorum reliquiae, qui nempe matutinae cum bestiis pugnae superstites, iam circiter meridiem nulla decertandi arte, nullo adversus ictus adhibito munimento se se mutuis vulneribus trucidabant.

CAPVT XII.

De Re Theatrali.

IN duo distingui genera res tota Theatralis posse videtur: quorum alterum eorum est, quae ad Theatrum ipsum, et scenicum apparatum pertinuerunt: alterum vero eorum, quae ludos in scena edi solitos, Tragoediam, Comoediam, et Satyram spectarunt. Nos, his postremis, quae unius poëticae artis sunt, praetermissis, de prioribus tantum sermonem instituemus.

§. I.

De Theatro.

I. Romae THEATRA primo exstitere lignea: eaque non perpetua, sed ad tempus extructa. Eiusmodi fuit, quod a M. Scauro, cum aedilitatem gereret, excitatum tradit Plinius XXXVI 15. de quo id miraculi inprimis refert: *Cavea ipsa cepit hominum LXXX millia: cum Pompeiani Theatri, toties multiplicata urbe, tantoque maiore populo, sufficiat large quadraginta millibus.* Ad idem porro Theatrorum genus referri debet, quod Marcum Curionem ad parentandum patri fecisse narrat idem scriptor ibid. cuius verba iam nos ante attulimus p. 265.

Quando autem primum confieri Theatra e lapide coeperunt, aversati ea sunt antiqui mores. Itaque, praeter alia scriptorum hac de re testimonia, legitur in Epitome Liviana XLVIII: *Cum locatum a censoribus Theatrum exstrueretur, P. Cornelio Nasica auctore, tanquam inutile, ac nocivum publicis moribus, ex senatus consulto destructum est.* Sed tandem in peius usque ruentibus saeculis, condita Theatra in urbe sunt, ac primum Pompeii; de quo Dio p. 107. Tum exaedificata alia duo, alterum a Cornelio Balbo: alterum ab Augusto, quod ipse M. Marcelli sororis filii nomine nuncupavit. Vtriusque fit mentio ab eodem historico p. 539.

II. Quod ad *Theatri* etymon attinet, constat vocem a Graeco θεάομαι *specto* derivatam; qua locus ad spectandum paratus designaretur. Quare non immerito quaelibet loca spectationi idonea *Theatra* dici posse observavit Servius ad V. Aeneid. 286. Vbi quidem Poëta hac notione id vocabulum usurpavit, cum cecinit:

. . . . *Tendit*
Gramineum in campum, quem collibus undique curvis
Cingebant silvae, mediaque in valle Theatri
Circus erat.

III. Iam Theatrum, in hemicycli formam constructum, plane dimidium Amphitheatri fuit, cui reliquis omnibus par erat. Itaque non absimili ratione Sedilia, Scalaria, Cunei, Praecinctiones, Vomitaria, de quibus in de Amphitheatro diximus, in Theatro etiam extiterunt. Quapropter illinc, quaecumque huc pertineant, colligas licet.

Illud modo de Sedilibus animadvertendum heic est, senatoribus in Theatro non, quemadmodum in amphitheatro, primos gradus, sed ipsam Thea-

tri aream fuisse ad spectandum attributam. Haec, nomine a Graecis mutuato, ORCHESTRA (ἀπὸ τοῦ ὀρχεῖσθαι *a saltando*) nuncupata fuit, propterea quod apud Graecos erat ea quidem Theatri pars saltationibus mancipata. Indicavimus hoc idem antea p. 268. adnot. 83.

E gradibus porro, quatuordecim orchestrae propiores dati equestri ordini fuerunt lege Roscia, per L. Roscium Othonem lata. De qua in Epitome Liv. XCIX scribitur: *L. Roscius tribunus plebis legem tulit, ut equitibus Romanis in Theatro quatuordecim gradus proximi assignarentur.*

Post quatuordecim, reliqui gradus omnes plebeiis occupandi relinquebantur.

IV. Intectum, amphitheatri instar, Theatrum fuit. Qua de causa, ut illic, ita et heic Vela ad inumbrandum imponebantur. Hinc Lucretius VI inquit:

Carbasus ut quondam magnis intenta Theatris
Dat crepitus, malos circa iactata, trabesque.

Quod tamen prioribus aetatibus factitatum non est: per quas, testante Propertio IV 1:

Nec sinuosa vago pendebant Vela Theatro.

RESTAT NVNC, ut de parte unice Theatri propria, videlicet de Scena, videamus: quod ut accidat opportunius, seorsum praestabimus.

§. II.

De Scena.

I. Non aliud ex vi nominis *Scena* fuit, quam umbraculum e ramis frondibusque intextum. Hoc sensu apud Virgilium I Aeneid. 168.

> . . . . *Tum SILVIS SCENA coruscis*
> *Desuper, horrentique atrum nemus imminet umbra.*

Est enim ducta vox ἀπὸ τῆς σκιᾶς *ab umbra*; uti etiam ibi adnotavit Servius.

Sed et porro *Scena* vocatum tabernaculum fuit, e tabulis, ramis, ac pellibus constructum. Ex quo Arabiae desertae populi dicti *Scenitae* sunt, quippe cum essent iis pro domibus tabernacula. Cum igitur ad fabulas agendas quondam iuventus Attica tabernaculis uteretur, hinc ortum, ut illa in theatro contabulatio, quae ab uno ad alterum eiusdem theatri cornu porrecta, proprie actorum locus erat, Scena nuncuparetur.

II. Pro triplici autem ludorum scenicorum genere, tres esse consuevere Scenae facies. Eas ita describit Vitruvius V 8: *Genera Scenarum sunt tria: unum, quod dicitur tragicum, alterum comicum, tertium satyricum. Horum ornatus sunt inter se dissimiles, disparique ratione: quod tragicae deformantur columnis, fastigiis, et signis, reliquisque regalibus rebus: comicae autem aedificiorum privatorum, et menianorum habent speciem, prospectusque fenestris dispositos imitatione communium aedificiorum; satyricae vero ornantur arboribus, speluncis, montibus, reliquisque agrestibus rebus.*

III. Scena ipsa, quod ad structuram attinuit, vel ita erat conformata, ut tota simul versa aliam inde imaginem exhiberet, vel ita, ut, diductis hinc et illinc tabulatis, aspectum interiorem aperiret. Harum alteram *versilem*, alteram *ductilem* appellat Servius, qui rem totam hanc addocet ad illud Maronis III Georg. 24:

Vel Scena ut versis discedat frontibus.

IV. Ad scenam maxime pertinuere *Proscenium* et *Pulpitum.* Quorum illud fuit locus ante scenam liber patensque: hoc vero, erectum in ipso proscenio tabulatum, quo actores prodibant.

§. III.

De Apparatu Scenico.

Plura fuere, unde exstitit scenicus Apparatus: e quibus alia ad Scenam, alia ad histriones pertinebant.

I. Prioris generis erant *Aulaea*, vel *Siparium*, *Machina*, *Exostra.*

1. *Aulaea*, scilicet picturata vela, scenae obduci solebant; tum, ubi actoribus prodeundum esset demitti. Ita apud Horatium II Epist. 1.

Quatuor, aut plures Aulaea premuntur in horas,
Dum fugiunt equitum turmae, peditumque catervae.

Quae ipsa quoniam, absoluta fabula, rursus attollebantur, eam ob rem idem poëta scripsit in Art. Poët.

Si plausoris eges Aulaea manentis, et usque
Sessuri, donec cantor, Vos plaudite, dicat.

Eiusdem plane usus fuit *Siparium*, velum nulla

pictura variatum; quod posteriore aetate aulaeis successit; prout retulit Donatus in Proleg. ad Ter. Hinc pro ludis scenicis usurpatum id nomen fuit a Iuvenale Sat. VIII.

Consumptis opibus vocem, Damasippe, locasti
Sipario, clamosum ageres ut phasma Catulli.

2. *Machina* adhibita ad id fuit, ut vel elata heroas in sublime levaret, vel demissa numen aliquod in desperatarum rerum subsidium adduceret. Vnde et exstitit apud Graecos proverbium: *θεὸς ἀπὸ μηχανῆς, e machina Deus*; quo remedium auxiliumque insperato allatum denotaretur.

3. *Exostra* aliud machinae genus erat, quod rotis conversum, quae intus gerebantur, spectatoribus ostendebat. Atque hinc suam illam sententiam deduxit Cic. de Prov. Cons. 6. cum de Pisone inquit: *Ille alter . . . iam in exostra* (i. e. propalam) *helluatur, antea post siparium solebat.*

II. Alium porro apparatum, qui histrionum fuit, conflarunt *Palla*, *Syrma*, *Cothurni*, *Socci*, *Personae*.

1. *Palla* usurpata a tragoedis est: quod in de Vestibus §. 6. notatum invenies. Eius ad scenicum usum auctor memoratur a Flacco in Art.

. . . . Pallaeque repertor honestae
AEschylus.

2. *Syrmate* actores item tragici utebantur. Fuit ea quidem vestis ita oblonga, ut per humum traheretur; unde et nomen hausit, quod est a *σύρω traho*. Et quoniam tragicae maiestati tantummodo adiuncta erat, idcirco pro stylo tragico nonnunquam id nomen sumitur: uti a Martiale XII 96.

Aptasti tragicum tu quoque Syrma tibi.

3. *Cothurnis* etiam inter ornamenta tragica locus fuit. Cum enim esset hoc calcei genus aliis elatius, aptum fore crediderunt ad heroum, qui

in tragoediis agebantur, magnitudinem repraesentandam. Ex ea autem consuetudine manavit, ut *Cothurni* vocabulum ad tragoediam significandam traduceretur. Hac significatione utitur eo Flaccus in Art. Poët. ubi de iambo inquit:

Hunc socci cepere pedem, grandesque Cothurni.

Nec vero rarius eadem vox styli magniloquentiae, qualis tragoedias decet, designandae aptata fuit. Ita apud eundem scriptorem ibid.

Qui docuit magnumque loqui, nitique Cothurno.

Et apud Maronem VIII. Ecl. 10.

Sola Sophocleo tua carmina digna Cothurno.

4. Contra autem humilis erat comoedorum calceus, nimirum *Soccus*: certe a vilibus personis, per comoediam exhiberi solitis, non alienus. Iam (quemadmodum de cothurno factum est) mos obtinuit, ut *Soccus* tum pro comoedia poneretur, ut ex paullo ante allato Horatii exemplo patet; tum etiam pro pedestri dicendi genere, cuiusmodi esse comicum suevit. Hoc sensu Martialis VIII. 3. cecinit:

An iuvat ad tragicos Soccum transferre cothurnos?

5. *Personarum* usus in scena perfrequens fuit. Atque erat quidem *persona*, conficta facies, quae vel regem, vel militem, vel servum, vel quemvis alium pro ratione fabulae repraesentaret. De hoc genere verba sunt Martialis XIV. 176.

Sum figuli lusus Rufi, Persona Batavi:
Quae tu derides haec timet ora puer.

§. IV.

De Croci Aspersione, Iactuque Missilium.

Duo adhuc de theatrali re supersunt, quae postremo hoc loco adiicere visum est, *Croci* aspersio, ac *Missilium* iactus.

I. Ad primum horum quod attinet, solebat Crocus, luxus gratia, in sedilia, inque scenam per fistulas effundi. Huiusmodi omnino est, quod prodidit Spartianus in Hadr. 19. *In honorem Traiani balsama, et Crocum per gradus theatri fluere iussit.* De eodem more verba Lucretii sunt II 416.

Et cum scena Croco Cilici perfusa recens est.

Huc accedat Propertii illud IV 1.

Pulpita sollemnes non oluere Crocos.

Cum igitur sic res haberet, factum inde, ut aliquando per metonymiam *Crocus* ipse pro scena, aut pulpito poneretur: uti apud Horatium II Epist. 1.

Recte, necne Crocum, floresque perambulet Attae
Fabula.

II. *Missilium* porro nomine ea omnia conclusa sunt, quae in theatris, populo rapienda, mitti mos fuit. De his locutus Martialis est VIII 78. cum cecinit:

Omnis habet sua dona dies, nec linea dives (92)

---

(92) *Lineae divitis* nomine intelligi heic deberet orchestram simul et equestria opinatus est Graevius

Cessat, et in populum multa rapina cadit.

Quam multiplex autem eorum genus esse sueverit, cognoscito e Tranquilli verbis in Ner. 11. *Sparsa et populo Missilia omnium rerum per omnes dies: singula quotidie millia avium cuiusque generis, multiplex penus, tesserae frumentariae, vestis, aurum, argentum, gemmae, margaritae, tabulae pictae, mancipia, iumenta, atque etiam mansuetae ferae: novissime naves, insulae, agri.* Iam res illae, quae iaci ipsae nequibant, per tesseras spargebantur. Hoc plane indicant, quae Dio p. 757. loquitur in hanc sententiam: *Globulos ligneos quosdam de loco superiore in theatrum iecit Titus, qui symbolum continebant alicuius esculenti, vestisve, aut vasis argentei, aut aurei, equorumque, et iumentorum, et pecudum, et mancipiorum. Quos globos qui rapuisset, attulissetque ad dispensatores Titi, quod inscriptum erat, consequebatur.*

Praef. Tom. IX Antiq. Rom. Mazochius vero Comment. in Camp. Amph. Tit. p. 128. censet, his vocibus solam significari orchestram, quæ ob exiguitatem suam *linea* appellata sit. Quidquid autem de hoc sit, illud certe significatum voluit poeta, universos in theatro ordines actis per singulos eos dies donis abundasse.

CAPVT XIII.

De Ludis Circensibus.

LVdi, de quibus dicere aggredimur, *Consuales* antiquitus fuere dicti; utpote Conso (qui consilii deus, idemque ac Neptunus, habitus) per Romulum initio sacrati. Postquam vero a Tarquinio Prisco Circus in valle Murcia inter colles Aventinum et Palatinum constitutus fuit, ubi deinceps id ludorum genus ederetur (quod antea mancipatum sibi locum non habuerat), tum demum Circenses vocari coepti sunt. Horum excutienda ratio nobis est, posteaquam tamen Circum ipsum perlustraverimus.

§. I.

De Circo Maximo.

Cum plures Romana in urbe Circi diversis temporibus conditi fuerint; qui tamen universos semper alios non aetate modo, sed magnitudine etiam antecessit, ille fuit, qui modo memoratum Priscum nactus est auctorem, *Maximus* propterea appellatus: quem ipsum nos heic paucis describemus.

I. Vniversim Circos mutuatos inde fuisse nomen, quod ad orbiculatam quandam figuram ac-

cederent, satis res ipsa loquitur. Verum inficiandum non est, non parum eos longiores, quam latiores fuisse. Ita Maximus, quo de agitur, non minus tria stadia cum dimidio in longum protendebatur, cum tamen latitudine stadium non excederet.

Cum sic res se haberet, bina Circus capita ratione longitudinis exhibebat: quorum alterum in hemicycli figuram conformatum erat, alterum recto muro definitum. Atque in incurva quidem illa parte, quae extrema circi erat, Moenianum supra exstabat, ab eiusque utroque latere, interiectis spatiis, duo alia Moeniana sive Podia, quadrigis (uti in perillustrium aedificiorum fastigiis solebat fieri) exornata. In recta vero altera, quae frons fuit, tredecim portae uno ordine sitae visebantur: quarum media, omnium maxima, aditum in circum dabat, reliquae minores utrinque dispositae (quae dictae *Carceres*) quadrigas ad cursum emittebant: sed et praeterea portae illi ceterarum principi Moenianum erat impositum, cui non absimilia alia duo ad angulos exstructa. Unde factum, ut tota ea pars *Oppidum* diceretur, quod ob pinnas turresque quandam oppidi imaginem praeberet, (Varr. IV L. L. 32)

II. Circi aream *Fori* ad spectandum positi ambiebant: quos primitus nulla publica impensa privati ipsi sibi ligneos parabant. De qua re ita Livius I 35. *Tum primum* (regnante Tarquinio Prisco) *Circo, qui nunc Maximus dicitur, designatus locus est: loca divisa patribus equitibusque, ubi SPECTACVLAS IBI QVISQVE FACERENT, Fori appellati.* Eosdem postea stabiles Tarquinius Superbus aere publico exstruendos tegendosque (cum ante sub dio spectaretur) curavit. (Dionys. p. 200.) Atque hac forma Cir-

cus ad Iulium Caesarem usque, constitisse fertur; hic autem elegantius eum restitutum triplici porticuum ordine (quo ferme pacto in amphitheatro res habuit) adornasse.

In qua nova Circi structura notare (ex Dionysii relatu p. 201.) decet, sedilia illa omnia, quae ab imis mediisque porticibus sustinebantur, lapidea fuisse, atque in declivitatem (uti in amphitheatro) composita. At quae ad summas porticus pertinuerunt, ea et ex ligno erant constructa, et in ipsas porticus immissa: hac namque extremae porticus non ut ceterae suffulciendis subiectae sedibus delitescebant, sed supra erectae apertaeque Circum introrsus libere prospectabant: quod in adiecta tabula cernere fas tibi erit.

III. Iam ut reliquas Circi partes percurramus, in media eius arena extructus lateritius murus erat, latitudine duodecim fere pedum, altitudine circiter quatuor, longitudine plurimam areae occupans partem, Spina appellatus. In ambabus hujus extremitatibus Metae, ad quas flectere oportebat currus, locatae erant: quae singulae e tribus columnis cupressi referentibus figuram, atque in ovi formam (in Castoris Pollucisque honorem) desinentibus constabant. Inter utrasque porro metas in Spinae medio *Obeliscus* soli sacer, centum triginta duos pedes altus, erectus erat; metisque propior alter octoginta octo pedum Lunae dicatus. Ad hoc sacella, signa, araeque Deorum, ut Cybeles, Neptuni, Solis, Victoriae, aliorumque, nec non praecipue Delphinum simulacra (ad Neptuni cultum) turriculis seu columnis imposita universam spinae superficiem adornabant.

IV. Inter carceres, et priores metas ducta transversim erat Linea alba, quae et Creta et Calx nuncupata, sulcus nimirum creta seu calce opple-

tus: ad quem currus e carceribus emissi consistebant, et frontibus a *Moratoribus* (quorum mentio in Inscripp.) aequabantur, ut inde dato signo pariter in arenam effunderentur. Ad quam ipsam Lineam, postquam absolutus cursus erat, iidem illi subsistebant. Ex quo pronum cuique erit intelligere, quid sibi velit Varronis locus apud Nonium III 60, ubi a circensibus locutione sumpta de humanae vitae conditione dicitur:

Nemini fortuna currum carcere emissum intimo
Labi inoffensum per aequor CANDIDVM AD CALCEM sinit.

Huc etiam revocanda est Tulliana illa sententia de Senect. 23. *Nec vero velim, quasi decurso spatio, ad CARCERES A CALCE revocari*: videlicet a fine ad vitae initium. Nec non Horatiana I Epist. 16.

. . . . , *Mors VLTIMA LINEA rerum est.*


V. Circi arenam ferrea clausira circumsepiebant, quae spectatores a ferarum aggressionibus tutos redderent. Qua eadem de causa fuisse eam per Caesarem euripo cinctam refert e ceteris Plinius VII 7.

VI. Eam vero fuisse circi amplitudinem, ut interior ambitus (qua latissime pateret) mille passuum esset, et centum quinquaginta hominum millia posset capere, auctor est Dionysius p. 200. Qui tamen consessorum numerus a Plinio ad ducenta et sexaginta millia, atque a Publio Victore ad trecenta octoginta quinque millia extollitur. Vix credibile videatur.

De locorum ad spectandum distributione ita habendum est. Initio Tarquinius Priscus patribus equitibusque loca divisit: quod demonstrant verba Livii I 35. per nos non multo ante allata. Tum



Tom. I. Pag. 296.





idem Tarquinius (narrante Dionysio p. 200.) id egit, ut suus cuique curiae locus daretur. Inde nullo amplius ordinum discrimine permiste patres, equites, plebeii toto reipublicae tempore adsederunt. Augustus tandem (teste Dione p. 563.) seorsum tum senatum, tum equitem spectare iussit. Qui tamen cum certum eis locum non assignasset, id postremo pro senatoribus praestitit Claudius, pro equitibus Nero. (Suet. in Claud. 21. et in Ner. 11.)

VII. Postremo in exteriore circuitu infimus porticum ordo officinas in fornicibus ipsis exstructas, supra vero cellas habebat: perque eas officinas certis scalis introitus ascensusque venientibus ad spectacula patescebat.

§. II.

De Cursu.

Qui in circo edi solebant ludi, sex numerantur, CVRSVS, CERTAMEN ATHLETICVM, LVDVS TROIAE, VENATIO, PVGNA EQVESTRIS et PEDESTRIS, atque NAVMACHIA. Inter quos universos qui maxime primatum obtinuit CVRSVS, idem et prae reliquis heic primas aget.

I. Id ludicri genus non bigis modo, trigis (93), aut quadrigis, sed equis etiam a curru seiunctis

---

(93) Rariores quidem, at non inusitatae fuerunt in Cursu trigae. Rem diserte testatur Dionysius VII in fine. Quin etiam seiuges aliquando, et septeiuges spectati in circo. De hoc autem toto qui plura scire aveat, vel etiam ipsorum curruum formam nosse, legere poterit, quae notata intra sunt Cap. de re vehiculari §. 3.

fuisse institutum, e vetustarum rerum memoria perspectum est.

Ac de his quidem equis statim illud animadvertendum se prodit, fuisse in more positum, ut singulis bigis quadrigisve equus unus praecurreret, ipsarum quasi minister et adhortator. A quo tamen equorum genere longe alii illi erant, qui praemii causa de velocitate certabant. Hos profecto nonnunquam *desultorios* dici placuit, quippe cum ita fieret interdum, ut eques binos ducens ab altero in alterum in ipso cursu transultaret (94).

II. Tam vero bigarii, quam quadrigarii, et celetes in Factiones diversis vestium coloribus discretas dividebantur. Hae duae tantum initio fuerunt *Alba*, et *Russata*: at processu temporis ad quatuor devenere, additis *Prasina*, et *Veneta*, viridis altera, altera caerulei coloris. Binas insuper Imperator Domitianus adiecit *Auratam*, atque *Purpuream*: sed has post eius mortem, actis a senatu rescissis, abolitas fuisse creditur, cum nulla deinceps earum exstet mentio. Singulis autem factionibus qui praeerant, *Domini*, ac *Magistri* di-

---

(94) Hunc morem tenuisse in bello quosdam Numidas, ut cum binos traherent equos, inter acerrimam saepe pugnam in recentem ex fesso armati transilirent, docet Livius XXIII 29.

E pari autem, quod in circensi cursu obtinuit, instituto ansam arripuit Tullius pro Mur. 27. ita arguendi Postumium, qui e candidato Praetorio accusator factus erat Murenae candidati consularis: *Qui nescio, inquit, quo pacto mihi videtur praetorius candidatus in consularem, quasi desultorius in quadrigarum curriculum incurrere.* Re namque vera quid desultorio cum quadrigis commune fuit? Sic ex Oratoris sententia quid tam absurdum esse potuit, quam ut quis a sua petitione ad alterius dignitatis petitorem accusandum deflecteret?

cebantur: quorum erat, quaecumque necesse forent, equos, vehicula, vestes editoribus locare. Mirandum porro est, quantum in aliquam ex his factionibus populi studium saepe exstiterit; ut aliquando etiam cum alii aliis inconsultius faverent, gravissimae inde contentiones caedesque enatae ferantur.

III. Quod ad cursum ipsum attinet, res ita se habebat. Primum quoniam non parum intererat, e quonam foret carcere quisque currus equusque egressurus, quippe cum e carceribus alius alio rectiorem, ideoque breviorem panderet ad metas viam; ea de causa id per sortem decernebatur. Quam instituti rationem imitatus in cursu navium Virgilius V 132 cecinit:

Tum loca sorte legunt . . . ;

Inde currus ipsi, vel equi (tot numero, quot factiones erant) pro carceribus stantes, fronteque ad albam lineam aequata, signum exspectabant: quod ubi a ludorum praeside per proiectam mappam datum esset, cursum repente capessentes, per dexteram circi aream praeter spinam ad extremam metam contendebant; tum circum eam sinistrorsus iter flectentes ad primam revertebantur: idque unum erat curriculum. Continenter dein alterum ingrediebantur, donec septena confecissent: quod cui primo contigisset, is eo missu victor habebatur.

In hoc duo potissimum curanda erant, tum ut, quo iter contractius foret, quam proxime ad metas circumflecteretur cursus; tum ut, quod summopere timere debuit, ne illisae ad easdem rotae perfringerentur. Expressum diserte utrumque principes duo reliquere poetae: alterum Maro V 162. cum in eodem illo navali certamine inquit:

Quo tantum mihi dexter abis? huc dirige cursum.
Litus ama, et laevas stringat sine palmula cautes.

Alterum Flaccus I Od 1. per illud:

. . . . *Metaque fervidis*
Evitata rotis, palmaque nobilis
Terrarum dominos evehit ad deos.

Vt autem singulae equorum curruumve circuitiones haud difficulter numerari quirent, tum etiam ut confecto cursu, quinam ex omnibus retulisset victoriam, pronum esset cognoscere, ita factitatum fuisse creditur. Postquam primum spatium decursum erat, atque ab ultima ad priorem metam converti cursus incipiebat, statim a circensium ministris unum e septem ovis, quibus inter alia spinae ornamenta locus erat, auferebatur: tum simili ratione per reliqua curricula fiebat, donec septenarius numerus expletus esset; ita ut cum septimum, quod finem cursus indicabat, tolleretur, tunc qui prior ad primam metam, sive ad albam lineam devenisset, cum exstitisse victorem intelligerent universi.

Per septenos igitur ambitus peragebatur cursus, isque absolutus appellabatur *Missus*: quales plerumque quinque et viginti iisdem circensibus confici consueverunt; cum tamen nonnunquam plures ad maiorem celebritatem editos memoriae sit proditum.

Victoriam praemia sequebantur, Palmae, Coronae, praesertim *lemniscatae* (95), Pecunia;

(95) Amplioris ornatus gratia solebant coronae *lemniscis*, videlicet angustis quibusdam taeniis, colligari, ita ut extremae partes solutae penderent. Servius ad illud Maronis V Aeneid. 269.

Puniceis ibant evincti tempora taeniis, significat, inquit, *LEMNISCATAS CORONAS, quae sunt de frondibus, et discoloribus fasciis.*

Idem insigne et palmis non raro additum; quae

aliaque extra ordinem non pauca, quae communi vocabulo *Corollaria* (96) dicta.

§. III.

De Certamine Athletico.

Quinque diversa ludorum genera uno Certaminis athletici nomine comprehensa sunt, Lucta, Pugilatus, Cursus, Saltus, et Disci iactus. Eadem universim sumpta Graece Πένταθλον, Latine *Quinquertium* a suo fuere numero appellata (97).

I. Luctae ratio haec fuit, ut alter alterum deiicere conaretur. Non una tamen fere, sed tri-

---

et ipsae *lemniscatae* dictae. Hinc metaphoram illam suam desumpsit Cicero pro Rosc. Amer. 35. *Audio multas esse infames palmas hanc primam tamen esse LEMNISCATAM, quae Romae deferatur.* Dictum in Capitonem, qui eum multos antea impune occidisset, e nece porro Roscii aliquid multo utilius, tres ejus fundos occupando, retulerit.

(96) A corollis, quae actoribus scenicis, ubi placuissent, dabantur, dicta sunt *Corollaria* quaecunque munera extra ordinem donarentur. Immo ad cuiusvis rei auctarium haec vox traducta. Hoc pacto Cicero III Verr. 50: *Ut*, inquit, *ad illos fructus arationum hoc COROLLARIUM NUMMORUM adderetur*. Et IV Verr. 22. *Hic .... ne SINE COROLLARIO de convivio discederet, ibidem convivis inspectantibus emblemata* (e duobus poculis a domino apositis) *avellenda curavit.*

(97) Pentathlum sive Quinquertium ex his quinque artibus ait Festus constitisse, Iactu disci, Cursu, Saltu, Lucta, et Iaculatione. Ubi iuvat advertere, pro Pugilatu Iaculationem recenseri; quandoquidem in ea numeratione mos in primis Graecorum expressus est.

plex eiusmodi delectio victoriam dabat. A quo ipso ternario numero derivatum Graecis est vocabulum τριάσσειν (*vincere*), luctatorum superantium cum primis proprium.

II. Pvgilatvs in eo vertebatur, ut se se mutuo concertatores exciperent vel pugnis, vel aeneis lapideisve spheris, quas manibus conclusas habebant (quod pugnandi genus a re ipsa Graecis σφαιρομάχειν dictum); vel denique caestibus. Fuere autem caestus, lora ferreis plumbeisve clavis passim armata, queis manus brachiaque obvolvebantur. E quibus ad pugilatum paratis armis satis apparet, non potuisse eiusmodi certamen non cruentissimum fere esse, cum praesertim ei victoria decerneretur, qui adversarium acrius contudisset vulnerassetque.

Advertendum heic vero est, e Lucta simul et Pugilatu tertium pugnae genus exstitisse, cui *Pancratii* nomenclaturam par Graecarum vocum πᾶν κράτος (*omne robur*) indidit, quoniam in ipso cunctas vires exprómere necesse foret. Pancratiastae igitur non aut deiicere tantum, aut ferire, sed utrumque uno eodemque tempore praestare conabantur.

III. Cvrsvs, qui ad hunc spectat locum, pedestris fuit. Eandem autem, quam curulis et equestris, habuit rationem: siquidem in eo haud dissimili modo e factionibus singuli certamen inibant; et circum metas currendo, qui e reliquis prior certa curricula absolvisset, palmam referebat.

Atqve hi quidem tres athletici ludi circensibus adnumerati sunt. Reliqui vero duo, de queis modo pauca, licet in usu et ipsi apud Romanos fuerint, nunquam tamen inducti in circum sunt, sed in palaestra, alibive exerciti.

IV. Saltvs ita peragebatur, ut saltando ter-

minum versus concurreretur. Saltatores autem, quo certius firmiusque exsilirent, halteres (massulas e plumbo, aliove metallo) pro libramento manibus gestare solebant.

V. Qui postremo ludus vocatus Disci Iactus fuit, inde, ut facile intellectu est, nomen assumpsit, quod circa disci iactationem versaretur. Erat Discus lamina plerumque ferrea, interdum aenea, vel etiam lapidea, ad lentis plane imaginem conformata. Eum ita Discoboli (non raro funiculi (98) cuiusdam ope) iaculabantur, ut nonnunquam ille victor heberetur, qui longius proiecisset; saepius vero, qui prae ceteris propositum terminum propius attigisset.

Ea igitur, quam singillatim expendimus, athleticorum omnium ludorum ratio fuit. Ad quos quicumque comparare se vellent, mirum est, quam temperatum vivendi modum tenerent, quo integram tuerentur valetudinem, novasque sibi in dies pararent vires: a qua causa fuit, ut *Athletice valere* in proverbium abierit.

§. IV.

De Quatuor Reliquis. Ludis Circensibus.

Cum duo circensium ludorum genera persecuti

---

(98) Ad emittendos discos funiculum, sive amentum, perinde fere ac in hastis fieri solebat, adhibitum aliquando fuisse, ut maior inde impetus iactui accederet, recte notavit Faber II Agonist. 4. Certe in aliquibus priscis monumentis occurrunt disci in medio perforati; quod non minimo firmandae rei, qua de agitur, argumento esse queat.

ad id loci simus, iam quae quatuor supersunt, huc simul omnia brevissime tractanda conferemus.

I. Lvdvs Troiae, qualem ab Aenea in Sicilia editum Virgilius V Aeneid. enarrat, Romae item in circo a pueris nobilibus turmatim in equestris pugnae modum congredientibus exhiberi consuevit: id quod *Troiam ludere* dictum est.

II. Pleniorem porro belli imaginem referebat Pvgna eqvestris et Pedestris, quippe cum ibi pedites etiam, non modo equites concurrerent; sed et praeterea castra nonnunquam utrinque ponerentur: quo tempore, ut laxarentur spatia, metas de circi medio sublatas fuisse accepimus.

III. Non minori prae his curae fuit Venatio: per quam inductae in circum ferae vel secum ipsae, vel, quod frequentius, cum bestiariis depugnabant. Id autem genus hominum e sontibus ferme fuit, qui ad hoc supplicium damnati: sed nec raro ex iis, qui sive pretio illecti, sive ostentandarum virium gratia in tale certamen sua sponte descendebant. Incredibile vero prope est, quam impenso studio ferae ipsae ad eiusmodi spectacula et a dissitis regionibus arcesserentur, et Romae in vivario, suo tempore producendae, saginarentur.

Ab hoc Venationis genere aliud prorsus fuit, quod sub Imperatoribus non ad internecionem quidem, sed ad rapinam institutum legitur. Exemplum exstat apud Vopiscum in Prob. 19. his verbis: *Venationem in circo amplissimam dedit, ita ut populus cuncta diriperet. Genus autem spectaculi fuit tale. Arbores validae per milites radicitus vulsae connexis late longeque trabibus affixae sunt, terra deinde superiecta, totusque circus ad sylvae consitus speciem gratia novi viroris effrondult. Immissi deinde per omnes aditus struthiones mille, mille cervi, mille apri, mille damae, ibi-*

ces, oves ferae, et cetera herbatica animalia, quanta vel ali potuerunt, vel inveniri. Immissi deinde populares, rapuit quisque quod voluit.

IV. Postremo Navmachia, (quae et (99) alibi) in circo etiam dari consuevit. Itaque postquam inducta per subterraneos meatus aqua fuerat, invectae naves, inque duas partes distributae non fictum certe, sed verum inter se praelium committebant. Quapropter naumachiarii non alii ferme erant, quam ob captivitatem, aut ob capitalia crimina morti devoti homines, qui eo certamine ad caedem usque depraeliarentur, nisi quando eos praecipua Principis indulgentia ab extrema tandem occidione eriperet.

§. V.

De Pompa Circensi.

Non ante a Circo abeundum esse putavimus, quam aliquid de Circensi pompa subiiceremus, curules athleticosque ludos solita praecedere.

Eam hoc pacto ordinatam veteres tradidere. Praeibant in equis adolescentes equitum Romanorum filii. Sequebantur ordinis inferioris alii, in

(99) Plures in urbe fuere Naumachiae, loca huiusmodi certamini destinata. Itaque tum quam Augustus, tum quam Domitianus struxit: tum quaepiam alia memoratur.

Id autem navalium praeliorum genus non solam semper voluptatem, sed aliquoties militum ad maritima bella institutionem spectavit. Ita Augustus classem in Pompeium educturus, eam tota hieme in portu Iulio ad Baias exercuit.

manipulos et centurias pedestris militiae more distributi. Procedebant deinde currus, et equi singulares ac desultorii. Pone subibant cursores, pugiles, ac luctatores. Tum varii saltantium chori. Dein tibicines ac citharoedi tibiis canentes ac citharas pulsantes. Sacerdotum postea ministri thuribula acerrasque gestantes, in iisque aromata thusque adolentes. Mox sanctiores alii sacrorum ministri, Camilli, Flaminii, Aeditui, Pullarii, Popae, ceterique non pauci vittatas victimas, cau lelabra, tripodas, pateras, secures, pluraque id genus alia comportantes. Deorum porro statuae suis thensis baiulabantur; inter quas etiam Augustorum Augustarumque imaginibus carpentisque locus datus. Vehebantur praeterea armamaxi, currus nimirum in modum Scythicum quatuor insistentes rotis, et thoracibus, clypeis, aliisque huiusmodi praediti ornamentis. Ibant inde collegiorum omnium sacerdotes, oleaginas virgas manu gerentes, capita suis apicibus redimita habentes. Cuncti denique magistratus cum propriis ministris universum agmen claudebant.

Huius generis Pompa a foro per vicum Tuscum (ubi Vertumni (100) signum) in circum ducebatur: ibique circuitus metis, sollemnique peracto sacrificio, finem accipiebat. Ac inde initium ludi sumebant: de quibus satis iam superque habitus sermo est.

---

(100) Cicero I Verr. 59. *Quis a signo Vertumni in circum maximum venit, quin is unoquoque gradu de avaritia tua commoneretur? Quam tu viam thensarum atque pompae eiusmodi exegisti, ut tu ipse illa re non audeas.* Scilicet aedilium erat curare viam, per quam pompa ducenda esset: quod munus cum in aedilitate sua Verres obiret, non levia, in itineris munitione a vicinis exigenda, avari animi argumenta dedisse a Tullio heic arguitur.

CAPVT XIV.

De Ludis Privatis.

PRaeter Ludos publice praeberi solitos, exstitere alii, quibus se se privatim Romani homines oblectabant. Hi vero erant LATRVNCVLI, TALI, TESSERAE, PILA, TVRBO, TROCHVS, aliique pauculi.

§. I.

De Latrunculis.

I. Summam, qui et hodie viget, LATRVNCVLORVM ludus antiquitatem prae se fert: cuius auctor a Pausania Corinth. p. 62. traditur fuisse Palamedes, qui cum ad Graecos milites, cum Troiam obsiderent, exercitatione maxime congruenti occupandos excogitaverit. Nihil vero est, cur (quod nonnulli fecerunt) de eo dubitetur, num Latrunculorum, et quos nunc dicimus, *Scacchorum* ludus pro uno eodemque haberi debeat, cum non sit ferme ovum ovo similius, quam secum duo haec ludicra apte conveniunt, ut paullo post patebit. Quod si quid tamen inter ea discriminis appareat, mirum vero id ipsum non erit animadvertenti, qualibet in re quidpiam vertente tempore immutari.

II. Iam igitur in Latrunculorum lusu proposita sat expresse belli fuit effigies, ubi duo exercitus hinc et illinc in *Abaci* campo instructi, paullatim e suis sedibus (quae dictae *Mandrae*) proceden-

do, et se se invicem variis artibus adoriendo, eousque praelium protraherent, donec penes alterutrum victoria staret. Hinc iure ac merito perinsignis vir Hieronymus Vida suum de Scacchiae ludo libellum ita exorsus est:

Ludimus effigiem belli, simulataque veris
Praelia, fictas buxo acies, et ludicra regna.

Merito etiam qui in tali certamine militum officio fungerentur, *Latrunculi*, nomine a vera militia desumpto, dicti fuere: quippe cum in hac *latrones* olim milites vocarentur (101).

---

(101) Apud Plautum Mil. glor. I 1.

Nam rex Seleucus me opere oravit maximo,
Vt sibi LATRONES cogerem et conscriberem.

Cur autem iis, qui in militiam adscripti essent, id nominis inditum fuerit, has causas adducit Varro VI de L.L. 3. vel *quod principibus AD LATERA semper essent*; vel *quod ad insidias LATERENT*; vel denique *quod LATVS ferro armatum haberent*. Sed et porro ἀπὸ τῦ λατρεύειν (*a serviendo*) derivari eadem appellatio iure potuit.

Ceterum etiam *latrocinandi* vocabulum ad militare munus unice quondam pertinuit. Ita apud eundem poëtam Trin. II 4.

Ibit LATROCINATVM aut in Asiam aut Ciliciam.

Iam vides igitur, quid *Latrunculorum* nomine designatum voluerit antiquitas. Eiusdem rei vestigium deprehendere licebit in voce *Scacchorum*, quae priori illi sequiore aetate successit: quandoquidem est haec, ut nonnulli arbitrantur, a Germanico *Scach Latro*. Sunt tamen alii, qui recentioris huius nominis repetendam originem arbitrantur ab Arabico seu Persico *Scach Rex*, quippe quod in eo ludo primas Rex agat. Nec vero defuit, qui *Scacchum* ex ipso *Calculo* detorta voce exstitisse crediderit,

III. Ipsi autem Latrunculi non alii primitus, quam lapilli, fuerunt: queis deinde calculi ex ebore, crystallo, argento, auro successere. Quare apud Martialem XIV 20. hoc exstat epigramma, cui titulus *Calculi*:

Insidiosorum si ludis bella latronum,
Gemmeus iste tibi miles, et hostis erit.

IV. Quindenis utrinque calculis ludebatur, iisque discoloribus; ut alteri albi, alteri nigri vel rubri essent. Tum suus utrinque copiis praeerat Rex. Ludus porro in eo maxime vertebatur, ut duo calculi unum adversae partis circumvenirent tollerentque. Hinc idem poëta ibid. 15:

Calculus heic gemino discolor hoste perit.

Contra vero unus (quae altera fuit posita in hoc lusu ratio) adversarios vel duos, non modo unum, ligare poterat, eos scilicet ad ultimam lineam redigendo. Huc respexit Seneca Epist. 177. cum inquit in fine: *Nemo, qui ad incendium domus suae currit, TABVLAM LATRVNCVLARIAM perspicit, ut sciat quomodo ALLIGATVS EXEAT CALCVLVS.* Rex autem ipse, nimirum princeps calculus, capi non poterat, sed tantum *ad incitas redigi*, videlicet eo compelli, unde moveri amplius nequiret. Quod qui egisset, postquam illum militibus suis omnibus spoliarat, is victor discedebat, et *imperator exisse* dicebatur. Ita Vopiscus de Proculo 13. refert: *Cum in quodam convivio ad latrunculos luderetur, atque ipse decies IMPERATOR EXISSET; quidam non ignobilis scurra, Ave, inquit, Auguste.*

V. Animadvertendum heic autem est, quoddam aliud fuisse lusionis genus, quod simul e tesserarum (de quibus postea videbitur) iactu, et e calculorum promotione constabat; idque vulgo *duodecim scriptorum* dicebatur, siquidem tabula luso-

ria, quae ei deserviebat, duodecim scriptis, idest lineis, signata erat. Ita vero ludus peragebatur, ut, iactis tesseris, pro vario earundem casu varie calculi, et disponerentur, et agerentur. Rem non obscure significat vetus hoc epigramma *De Tabula*:

Discolor ancipiti sub iactu calculus adstat,
Decertantque simul candidus, atque rubens:
Et quamvis parili scriptorum tramite currant,
Is rapiet palmam, quem bona fata iuvant.

VBi tamen non ita a sorte successus omnis exspectandus erat, ut non plurimam in eo partem sibi ars vindicaret; cuius, si minus aliud, id quidem certe erat, adversos illius casus emendare atque mollire. Hoc indicavit Terent. Adelph. IV 7. cum ait:

Ita vita est hominum, quasi cum ludas tesseris:
Si illud, quod maxime opus est, iactu non cadit,
Illud, quod cecidit forte, id arte ut corrigas.

Peculiare porro huic ludo fuit, ut si cui calculum *dedisse*, idest e sua cellula movisse doleret, illum permittente collusore *reduceret*. Hinc Cicero apud Nonium II 781. *Itaque*, inquit, *tibi concedo, quod in duodecim scriptis solemus, ut CALCVLVM REDVCAS, si te alicuius DATI poenitet.*

Totius autem huiusce lusus quaenam omnino ratio fuerit, atque unde tandem absoluta exsisteret victoria, exploratum ad id temporis non est.

§. II.

De Talis, Et Tesseris.

Vniversos ludos, quorum eventus sorti non arti commissus videatur, unico *Aleae* (102) nomine comprehendi nemo ignorat. Eiusmodi fuere veteribus TALI, et TESSERAE.

I. Nos primum TALOS (quos Graeci dixere Ἀστραγάλους) in medium allaturi, in ipso statim ingressu paucis rem illam expediemus, quae plurium scriptorum animos exagitavit, quot scilicet latera tum Talis, tum Tesseris sint assignanda. Itaque cum iis, qui accuratius hac in parte intuiti antiquitatem sunt, asserimus senis quidem Talos praeditos fuisse lateribus, at ex horum numero quatuor tantum ad ludi usum pertinuisse, quibus nimirum illi, cum iacebantur, solebant insistere, et quae propterea sola suas numerorum notas prae se ferebant. Reliqua enim duo ita erant incurva, ut vix ipsis talus stare posset, eaque de causa essent lusui inutilia. Nihil vero est, quod quisquam eam in Talis formam demiretur, cum

---

(102) Hanc vocem a Graeco ἀλᾶσθαι (*vagari, incertumque esse*) deductam credit Vossius. Nam quod de Alea milite dicitur, qui in bello Troiano huius ludorum generis inventor fuerit, sunt merae nugae.

A primigenia interim *alae* notione intelligas licet, quam recte pro *discrimine* adhibitum id vocabulum aliquando sit. Hoc pacto apud Horatium II Od. 1.

Periculosae plenum opus Aleae,

et apud Columellam in praef. Lib. I *Maris, et negotiationis Alea*,

hi non alii fuerint, quam ossicula (eodem a Latinis designata nomine) ex animalium bisulcorum pedibus extracta, atque in id figurae genus per naturam ipsam conficta. Et licet deinde ex ebore quoque lusorii tali confici coepti sint, a consueta tamen forma discessum non est.

Iam in quatuor illis, quae indicavimus, talorum lateribus expressa sive per numerorum figuras, sive per puncta erant, *Vnum*, *Tria*, *Quatuor*, *Sex*. E quorum variis in lusione aspectibus, quinque et triginta diversi talorum iactus sive casus (etenim quatuor talis ludebatur) exsistebant. His suas singulis Graeci nomenclaturas accommodarunt: quarum tamen paucae non tam universam talorum faciem, quam singularem numerum aliquem (ut mox liquebit) significabant. Inter eas celeberrimae omnium fuere Ἀφροδίτης, et Κύων, et inde apud Latinos *Venus*, et *Canis*: quarum illa prae reliquis felicissimum, hic infaustissimum iactum indicabat. Hinc Propertius IV 9. cecinit:

Me quoque per talos VENEREM querente secundos,
Semper damnosi subsiluere CANES.

Fuit autem *Venus* is iactus, quo quatuor tali diversam omnes speciem obiiciebant. Declarat id Martialis XIV 14.

Cum steterit nullus vultu tibi talus eodem,
Munera me dices magna dedisse tibi.

Vocabulum vero *Canis* non quidem omnium simul talorum aspectum, sed (quod constat ex Polluce IX 7.) Vnitatem talo consignatam denotabat, quae cum se ostenderet (modo reliquorum talorum aspectus non ita omnes diversi essent, ut Venerem facerent) aleatori aes veluti mordendo abripiebat. Itaque Augustus apud Suetonium in eius vita 71. sic refert; *Inter coenam lusimus γε-*

ῥοντικῶς (103) *et heri, et hodie. Talis enim iactatis, ut quisque CANEM, aut Senionem miserat, in singulos talos singulos denarios in medium conferebat; quos tollebat omnes, qui Venerem iecerat.* Qua ipsa de causa qui vulgo *Canis* appellabatur, dictus etiam aliquando fuit *Vulturius*; ut a Plauto Curc. II 3.

> . . . . *Iacit VVLTVRIOS quatuor;*
> *Talos arripio, invoco almam meam nutricem*
> *Herem,*
> *Iacto Basilicum* (104).

Ex allato interim Suetonii loco apparet, in eo ludi genere, de quo ibi narratur, *Senionem* (quem Graeci dixere κῷον) fuisse exitialem. Ceterum is ipse plerumque secundus erat, uti testatur Persius Sat. III:

> . . . . *Quid DEXTER SENIO FERRET,*
> *Scire erat in voto, damnosa Canicula quantum*
> *Raderet.*

---

(103) *Seniliter*, i. e. uti facere solent senes unius oblectationis causa, ludo non multum studii postulante. Huc etiam illud adde, reapse talorum ludum maxime senum proprium fuisse habitum. Quare Cicero de Senect. 16. inquit: *Habeant igitur alii sibi arma, sibi equos, sibi hastas . . . nobis senibus ex lusionibus multis talos relinquant, et tesseras.* Id autem non ita accipiendum est, quasi non et ad pueros peculiari quadam ratione ludus talarius pertinuerit. Cui rei comprobandae; ubi cetera desint, satis erunt *Astragalizontes*, quos memorat Plinius II 8. scilicet pueri *talis ludentes* a Polycleto facti. Ubi obiter observa, *astragalos* ipsissimos fuisse talos.

(104) *Iactus Basilicus*, scil. *regius*, idem fuit ac *Venus*, ita praecipue dictus, quod per eum Rex seu Magister convivii crearetur. De hac re fusius in de Conviviis agetur.

Itaque per Senionem aliquid e cumulo, qui in medio erat, tolli solebat. Quod si vero Senio simul et Canis exsiluisset, tunc alter alterum compensabat, ut nihil nec lucri, nec detrimenti fieret. Quoniam igitur non valebat Senio, si eodem tempore Canis se obtulisset, hinc enatum est Graecis proverbium: χῖος παραςὰς κῷον οὐκ ἐᾷ λέγειν: *Canis adstans Senionem haud sinit loqui*; de iis dictum, qui cum interiores longe essent, maiores tamen continerent compescerentque.

II. Quod porro ad TESSERAS attinet, pro explorato primum habendum est, hanc eis appellationem a Graeco τέσσαρες (*quatuor*) arcessitam fuisse, non quod quaterna haberent latera, cum senis essent praeditae, sed quod omni ex parte essent quadratae. Ex quo ipso fuit, ut a Graecis vocarentur Κύβοι (*Cubi*); quandoquidem hoc figurae genus tale est, ut a cunctis lateribus formam quadratam habeat.

Cum igitur sex essent Tesserarum latera, quibus eae singulis possent consistere, undique aliquem numerum exhibebant: quare qui duo aberant a talis Binarius et Quinarius, eisdem inerant. Id etiam discriminis inter talorum, et tesserarum ludos intercessit, quod hae non, ut illi, quaternae, sed priscis quidem temporibus plerumque ternae, sequiore dein aevo binae, postremo iterum ternae fuerint adhibitae. Ternarium hunc tesserarum numerum satis ostendit Graecum illud effatum, quod lusoribus frequens erat in ore: ἢ τρεῖς ἕξ, ἢ τρεῖς κύβοι, *aut ter sex*, *aut tria puncta* (ita enim heic est accipienda vox κύβοι); per quod illi iactitantes tesseras petebant sibi aut prosperrimum, aut infelicissimum iactum, quasi dicerent, *aut omnia*, *aut nihil*. Aetate vero sua Martialis duas tantum ob oculos ponit XIV epigrammate 15.

cuius lemma est *Tabula lusoria*:

Heic mihi bisseno numeratur Tessera puncto.

At recentiores rursus auctores trinas sua memoria usurpatas ferunt.

Interea ex Graecanico illo, quod modo retulimus, aleatorum carmine recte intelligitur, quodnam sollemne fuerit tesserari ludi genus, illud nimirum ipsum, cuius meminit Pollux VII cap. ult. vocatum Graecis Πλειστοβολίνδα, in eo totum positum, ut qui *plura iaceret puncta*, victor abiret.

Habes iam, quidquid de unaquaque separatim tum Talorum, tum Tesserarum lusione dicendum erat. Accipe nunc reliquum unum, quod ad utramque pariter pertinuit.

Vt in iactandis sive talis, sive tesseris fraus quaelibet procul abesset, vasculum quoddam tereti forma vel corneum, vel buxeum adhiberi solebat; in quod coniecti tali, tesseraeve, atque hac illac agitati, demum in *Alveum* (105) emittebantur. Huius generis vas appellatum *Fritillus*, et *Orca* fuit. Quare Martialis IV 14. inquit:

Dum blanda vagus alea December
Incertis sonat hinc et hinc Fritillis.

---

(105) Inde merito tabula aleatoria *Alveus* appellata creditur, quod quandam cum alveo fluminis similitudinem haberet; quippe cum sicut is ripis definitur, ita illa circumducto labro concluderetur. Memorat eum Plinius XXXVII 2. cum tradit Pompeium triumpho de Asia acto inter alia transtulisse *ALVEVM cum tesseris LVSORIVM e gemmis duabus, latum pedes tres, longum pedes quatuor.* Eadem tabula *Forum aleatorium* dicta occurrit. Ita apud Suetonium in vita Augusti 71. *Lusimus per omnes dies FORVMque ALEATORIVM calfecimus.*

plex eiusmodi delectio victoriam dabat. A quo ipso ternario numero derivatum Graecis est vocabulum τριάσσειν (*vincere*), luctatorum superantium cum primis proprium.

II. Pvgilatvs in eo vertebatur, ut se se mutuo concertatores exciperent vel pugnis, vel aeneis lapideisve spheris, quas manibus conclusas habebant (quod pugnandi genus a re ipsa Graecis σφαιρομάχειν dictum); vel denique caestibus. Fuere autem caestus, lora ferreis plumbeisve clavis passim armata, queis manus brachiaque obvolvebantur. E quibus ad pugilatum paratis armis satis apparet, non potuisse eiusmodi certamen non cruentissimum fere esse, cum praesertim ei victoria decerneretur, qui adversarium acrius contudisset vulnerassetque.

Advertendum heic vero est, e Lucta simul et Pugilatu tertium pugnae genus exstitisse, cui *Pancratii* nomenclaturam par Graecarum vocum πᾶν κράτος (*omne robur*) indidit, quoniam in ipso cunctas vires expromere necesse foret. Pancratiastae igitur non aut deiicere tantum, aut ferire, sed utrumque uno eodemque tempore praestare conabantur.

III. Cvrsvs, qui ad hunc spectat locum, pedestris fuit. Eandem autem, quam curulis et equestris, habuit rationem: siquidem in eo haud dissimili modo e factionibus singuli certamen inibant; et circum metas currendo, qui e reliquis prior certa curricula absolvisset, palmam referebat.

Atqve hi quidem tres athletici ludi circensibus adnumerati sunt. Reliqui vero duo, de queis modo pauca, licet in usu et ipsi apud Romanos fuerint, nunquam tamen inducti in circum sunt, sed in palaestra, alibive exerciti.

IV. Saltvs ita peragebatur, ut saltando ter-

minum versus concurreretur. Saltatores autem, quo certius firmiusque exsilirent, halteres (massulas e plumbo, aliove metallo) pro libramento manibus gestare solebant.

V. Qui postremo ludus vocatus Disci Iactus fuit, inde, ut facile intellectu est, nomen assumpsit, quod circa disci iactationem versaretur. Erat Discus lamina plerumque ferrea, interdum aenea, vel etiam lapidea, ad lentis plane imaginem conformata. Eum ita Discoboli (non raro funiculi (98) cuiusdam ope)iaculabantur, ut nonnunquam ille victor heberetur, qui longius proiecisset; saepius vero, qui prae ceteris propositum terminum propius attigisset.

Ea igitur, quam singillatim expendimus, athleticorum omnium ludorum ratio fuit. Ad quos quicunque comparare se vellent, mirum est, quam temperatum vivendi modum tenerent, quo integram tuerentur valetudinem, novasque sibi in dies pararent vires: a qua causa fuit, ut *Athletice valere* in proverbium abierit.

§. IV.

De Quatuor Reliquis. *Ludis Circensibus.*

Cum duo circensium ludorum genera persecuti

---

(98) Ad emittendos discos funiculum sive amentum, perinde fere ac in hastis fieri solebat, adhibitum aliquando fuisse, ut maior inde impetus iactui accederet, recte notavit Faber II Agonist. 4. Certe in aliquibus priscis monumentis occurrunt disci in medio perforati; quod non minimo firmandae rei, qua de agitur, argumento esse queat.

ad id loci simus, iam quae quatuor supersunt, huc simul omnia brevissime tractanda conferemus.

I. Lvdvs Troiae, qualem ab Aenea in Sicilia editum Virgilius V Aeneid. enarrat, Romae item in circo a pueris nobilibus turmatim in equestris pugnae modum congredientibus exhiberi consuevit: id quod *Troiam ludere* dictum est.

II. Pleniorem porro belli imaginem referebat Pvgna eqvestris et Pedestris, quippe cum ibi pedites etiam, non modo equites concurrerent; sed et praeterea castra nonnunquam utrinque ponerentur: quo tempore, ut laxarentur spatia, metas de circi medio sublatas fuisse accepimus.

III. Non minori prae his curae fuit Venatio: per quam inductae in circum ferae vel secum ipsae, vel, quod frequentius, cum bestiariis depugnabant. Id autem genus hominum e sontibus ferme fuit, qui ad hoc supplicium damnati: sed nec raro ex iis, qui sive pretio illecti, sive ostentandarum virium gratia in tale certamen suasponte descendebant. Incredibile vero prope est, quam impenso studio ferae ipsae ad eiusmodi spectacula et a dissitis regionibus arcesserentur, et Romae in vivario, suo tempore producendae, saginarentur.

Ab hoc Venationis genere aliud prorsus fuit, quod sub Imperatoribus non ad internecionem quidem, sed ad rapinam institutum legitur. Exemplum exstat apud Vopiscum in Prob. 19. his verbis: *Venationem in circo amplissimam dedit, ita ut populus cuncta diriperet. Genus autem spectaculi fuit tale. Arbores validae per milites radicitus vulsae connexis late longeque trabibus affixae sunt, terra deinde superiecta, totusque circus ad sylvae consitus speciem gratia novi viroris effiondeit. Immissi deinde per omnes aditus struthiones mille, mille cervi, mille apri, mille damae, ibi-*

ces, oves ferae, et cetera herbatica animalia, quanta vel ali potuerunt, vel inveniri. Immissi deinde populares, rapuit quisque quod voluit.

IV. Postremo Navmachia, (quae et (99) alibi) in circo etiam dari consuevit. Itaque postquam inducta per subterraneos meatus aqua fuerat, invectae naves, inque duas partes distributae non fictum certe, sed verum inter se praelium committebant. Quapropter naumachiarii non alii ferme erant, quam ob captivitatem, aut ob capitalia crimina morti devoti homines, qui eo certamine ad caedem usque depraeliarentur, nisi quando eos praecipua Principis indulgentia ab extrema tandem occidione eriperet.

§. V.

De Pompa Circensi.

Non ante a Circo abeundum esse putavimus, quam aliquid de Circensi pompa subiiceremus, curules athleticosque ludos solita praecedere.

Eam hoc pacto ordinatam veteres tradidere. Praeibant in equis adolescentes equitum Romanorum filii. Sequebantur ordinis inferioris alii, in

(99) Plures in urbe fuere Naumachiae, loca huiusmodi certamini destinata. Itaque tum quam Augustus, tum quam Domitianus struxit: tum quaepiam alia memoratur.

Id autem navalium praeliorum genus non solam semper voluptatem, sed aliquoties militum ad maritima bella institutionem spectavit. Ita Augustus classem in Pompeium educturus, eam tota hieme in portu Iulio ad Baias exercuit.

manipulos et centurias pedestris militiae more distributi. Procedebant deinde currus, et equi singulares ac desultorii. Pone subibant cursores, pugiles, ac luctatores. Tum varii saltantium chori. Dein tibicines ac citharoedi tibiis canentes ac citharas pulsantes. Sacerdotum postea ministri thuribula acerrasque gestantes, in iisque aromata thusque adolentes. Mox sanctiores alii sacrorum ministri, Camilli, Flaminii, Aeditui, Pullarii, Popae, ceterique non pauci vittatas victimas, candelabra, tripodas, pateras, secures, pluraque id genus alia comportantes. Deorum porro statuae suis thensis baiulabantur; inter quas etiam Augustorum Augustarumque imaginibus carpentisque locus datus. Vehebantur praeterea armamaxi, currus nimirum in modum Scythicum quatuor insistentes rotis, et thoracibus, clypeis, aliisque huiusmodi praediti ornamentis. Ibant inde collegiorum omnium sacerdotes, oleaginas virgas manu gerentes, capita suis apicibus redimita habentes. Cuncti denique magistratus cum propriis ministris universum agmen claudebant.

Huius generis Pompa a foro per vicum Tuscum (ubi Vertumni (100) signum) in circum ducebatur: ibique circuitus metis, sollemnique peracto sacrificio, finem accipiebat. Ac inde initium ludi sumebant: de quibus satis iam superque habitus sermo est.

---

(100) Cicero I Verr. 59. *Quis a signo Vertumni in circum maximum venit, quin is unoquoque gradu de avaritia tua commoneretur? Quam tu viam thensarum atque pompae eiusmodi exegisti, ut tu ipse illa re non audeas.* Scilicet aedilium erat curare viam, per quam pompa ducenda esset: quod munus cum in aedilitate sua Verres obiret, non levia, in itineris munitione a vicinis exigenda, avari animi argumenta dedisse a Tullio heic arguitur.

CAPVT XIV.

De Ludis Privatis.

PRaeter Ludos publice praeberi solitos, exstitere alii, quibus se se privatim Romani homines oblectabant. Hi vero erant LATRVNCVLI, TALI, TESSERAE, PILA, TVRBO, TROCHVS, aliique pauculi.

§. I.

De Latrunculis.

I. Summam, qui et hodie viget, LATRVNCVLORVM ludus antiquitatem prae se fert: cuius auctor a Pausania Corinth. p. 62. traditur fuisse Palamedes, qui cum ad Graecos milites, cum Troiam obsiderent, exercitatione maxime congruenti occupandos excogitaverit. Nihil vero est, cur (quod nonnulli fecerunt) de eo dubitetur, num Latrunculorum, et quos nunc dicimus, *Scacchorum* ludus pro uno eodemque haberi debeat, cum non sit ferme ovum ovo similius, quam secum duo haec ludicra apte conveniunt, ut paullo post patebit. Quod si quid tamen inter ea discriminis appareat, mirum vero id ipsum non erit, animadvertenti, qualibet in re quidpiam vertente tempore immutari.

II. Iam igitur in Latrunculorum lusu proposita sat expresse belli fuit effigies, ubi duo exercitus hinc et illinc in *Abaci* campo instructi, paullatim e suis sedibus (quae dictae *Mandrae*) proceden-

do, et se se invicem variis artibus adoriendo, eousque praelium protraherent, donec penes alterutrum victoria staret. Hinc iure ac merito perinsignis vir Hieronymus Vida suum de Scacchiae ludo libellum ita exorsus est:

Ludimus effigiem belli, simulataque veris
Praelia, fictas buxo acies, et ludicra regna.

Merito etiam qui in tali certamine militum officio fungerentur, *Latrunculi*, nomine a vera militia desumpto, dicti fuere: quippe cum in hac *latrones* olim milites vocarentur (101).

---

(101) Apud Plautum Mil. glor. I 1.

Nam rex Seleucus me opere oravit maximo,
Vt sibi LATRONES cogerem et conscriberem.

Cur autem iis, qui in militiam adscripti essent, id nominis inditum fuerit, has causas adducit Varro VI de L.L. 3. vel *quod principibus AD LATERA semper essent*; vel *quod ad insidias LATERENT*; vel denique *quod LATVS ferro armatum haberent*. Sed et porro ἀπὸ τῦ λατρεύειν (*a serviendo*) derivari eadem appellatio iure potuit.

Ceterum etiam *latrocinandi* vocabulum ad militare munus unice quondam pertinuit. Ita apud eundem poëtam Trin. II 4.

Ibit LATROCINATVM aut in Asiam aut Ciliciam.

Iam vides igitur, quid *Latrunculorum* nomine designatum voluerit antiquitas. Eiusdem rei vestigium deprehendere licebit in voce *Scacchorum*, quae priori illi sequiore aetate successit: quandoquidem est haec, ut nonnulli arbitrantur, a Germanico *Scach Latro*. Sunt tamen alii, qui recentioris huius nominis repetendam originem arbitrantur ab Arabico seu Persico *Scach Rex*, quippe quod in eo ludo primas Rex agat. Nec vero defuit, qui *Scacchum* ex ipso *Calculo* detorta voce exstitisse crediderit,

III. Ipsi autem Latrunculi non alii primitus, quam lapilli, fuerunt: queis deinde calculi ex ebore, crystallo, argento, auro successere. Quare apud Martialem XIV 20. hoc exstat epigramma, cui titulus *Calculi*:

Insidiosorum si ludis bella latronum,
Gemmeus iste tibi miles, et hostis erit.

IV. Quindenis utrinque calculis ludebatur, iisque discoloribus; ut alteri albi, alteri nigri vel rubri essent. Tum suus utrinque copiis praeerat Rex. Ludus porro in eo maxime vertebatur, ut duo calculi unum adversae partis circumvenirent tollerentque. Hinc idem poëta ibid. 15:

Calculus heic gemino discolor hoste perit.

Contra vero unus (quae altera fuit posita in hoc lusu ratio) adversarios vel duos, non modo unum, ligare poterat, eos scilicet ad ultimam lineam redigendo. Huc respexit Seneca Epist. 177. cum inquit in fine: *Nemo, qui ad incendium domus suae currit, TABVLAM LATRVNCVLARIAM perspicit, ut sciat quomodo ALLIGATVS EXEAT CALCVLVS.* Rex autem ipse, nimirum princeps calculus, capi non poterat, sed tantum *ad incitas redigi*, videlicet eo compelli, unde moveri amplius nequiret. Quod qui egisset, postquam illum militibus suis omnibus spoliarat, is victor discedebat, et *imperator exisse* dicebatur. Ita Vopiscus de Proculo 13. refert: *Cum in quodam convivio ad latrunculos luderetur, atque ipse decies IMPERATOR EXISSET; quidam non ignobilis scurra, Ave, inquit, Auguste.*

V. Animadvertendum heic autem est, quoddam aliud fuisse lusionis genus, quod simul e tesserarum (de quibus postea videbitur) iactu, et e calculorum promotione constabat; idque vulgo *duodecim scriptorum* dicebatur, siquidem tabula luso-

ria, quae ei deserviebat, duodecim scriptis, idest lineis, signata erat. Ita vero ludus peragebatur, ut, iactis tesseris, pro vario earundem casu varie calculi, et disponerentur, et agerentur. Rem non obscure significat vetus hoc epigramma *De Tabula*:

Discolor ancipiti sub iactu calculus adstat,
Decertantque simul candidus, atque rubens:
Et quamvis parili scriptorum tramite currant,
Is rapiet palmam, quem bona fata iuvant.

VBi tamen non ita a sorte successus omnis exspectandus erat, ut non plurimam in eo partem sibi ars vindicaret; cuius, si minus aliud, id quidem certe erat, adversos illius casus emendare atque mollire. Hoc indicavit Terent. Adelph. IV 7. cum ait:

Ita vita est hominum, quasi cum ludas tesseris:
Si illud, quod maxime opus est, iactu non cadit,
Illud, quod cecidit forte, id arte ut corrigas.

Peculiare porro huic ludo fuit, ut si cui calculum *dedisse*, idest e sua cellula movisse doleret, illum permittente collusore *reduceret*. Hinc Cicero apud Nonium II 781. *Itaque*, inquit, *tibi concedo, quod in duodecim scriptis solemus, ut CALCVLVM REDVCAS, si te alicuius DATI poenitet.*

Totius autem huiusce lusus quaenam omnino ratio fuerit, atque unde tandem absoluta exsisteret victoria, exploratum ad id temporis non est.

§. II.

De Talis, Et Tesseris.

Vniversos ludos, quorum eventus sorti non arti commissus videatur, unico *Aleae* (102) nomine comprehendi nemo ignorat. Eiusmodi fuere veteribus Tali, et Tesserae.

I. Nos primum Talos (quos Graeci dixere Ἀστραγάλους) in medium allaturi, in ipso statim ingressu paucis rem illam expediemus, quae plurium scriptorum animos exagitavit, quot scilicet latera tum Talis, tum Tesseris sint assignanda. Itaque cum iis, qui accuratius hac in parte intuiti antiquitatem sunt, asserimus senis quidem Talos praeditos fuisse lateribus, at ex horum numero quatuor tantum ad ludi usum pertinuisse, quibus nimirum illi, cum iacebantur, solebant insistere, et quae propterea sola suas numerorum notas prae se ferebant. Reliqua enim duo ita erant incurva, ut vix ipsis talus stare posset, eaque de causa essent lusui inutilia. Nihil vero est, quod quisquam eam in Talis formam demiretur, cum

---

(102) Hanc vocem a Graeco ἀλλᾶσθαι (*vagari*, *incertumque esse*) deductam credit Vossius. Nam quod de Alea milite dicitur, qui in bello Troiano huius ludorum generis inventor fuerit, sunt merae nugae.

A primigenia interim *alae* notione intelligas licet, quam recte pro *discrimine* adhibitum id vocabulum aliquando sit. Hoc pacto apud Horatium II Od. 1.

Periculosae plenum opus Aleae,

et apud Columellam in praef. Lib. I *Maris, et negotiationis Alea*,

hi non alii fuerint, quam ossicula (eodem a Latinis designata nomine) ex animalium bifulcorum pedibus extracta, atque in id figurae genus per naturam ipsam conficta. Et licet deinde ex ebore quoque lusorii tali confici coepti sint, a consueta tamen forma discessum non est.

Iam in quatuor illis, quae indicavimus, talorum lateribus expressa sive per numerorum figuras, sive per puncta erant, *Vnum*, *Tria*, *Quatuor*, *Sex*. E quorum variis in lusione aspectibus, quinque et triginta diversi talorum iactus sive casus (etenim quatuor talis ludebatur) exsistebant. His suas singulis Graeci nomenclaturas accommodarunt: quarum tamen paucae non tam universam talorum faciem, quam singularem numerum aliquem (ut mox liquebit) significabant. Inter eas celeberrimae omnium fuere Ἀφροδίτης, et Κύων, et inde apud Latinos *Venus*, et *Canis*: quarum illa prae reliquis felicissimum, hic infaustissimum iactum indicabat. Hinc Propertius IV 9. cecinit:

Me quoque per talos VENEREM querente secundos,
Semper damnosi subsiluere CANES.

Fuit autem *Venus* is iactus, quo quatuor tali diversam omnes speciem obiiciebant. Declarat id Martialis XIV 14.

Cum steterit nullus vultu tibi talus eodem,
Munera me dices magna dedisse tibi.

Vocabulum vero *Canis* non quidem omnium simul talorum aspectum, sed (quod constat ex Polluce IX 7.) Vnitatem talo consignatam denotabat, quae cum se ostenderet (modo reliquorum talorum aspectus non ita omnes diversi essent, ut Venerem facerent) aleatori aes veluti mordendo abripiebat. Itaque Augustus apud Suetonium in eius vita 71. sic refert; *Inter coenam lusimus γε-*

ροντικῶς (103) *et heri*, *et hodie. Talis enim iactatis*, *ut quisque CANEM*, *aut Senionem miserat*, *in singulos talos singulos denarios in medium conferebat*; *quos tollebat omnes*, *qui Venerem iecerat.* Qua ipsa de causa qui vulgo *Canis* appellabatur, dictus etiam aliquando fuit *Vulturius*; ut a Plauto Curc. II 3.

> . . . . *Iacit VVLTVRIOS quatuor;*
> *Talos arripio*, *invoco almam meam nutricem Herem*,
> *Iacto Basilicum* (104).

Ex allato interim Suetonii loco apparet, in eo ludi genere, de quo ibi narratur, *Senionem* (quem Graeci dixere *κῶον*) fuisse exitialem. Ceterum is ipse plerumque secundus erat, uti testatur Persius Sat. III:

> . . . . *Quid DEXTER SENIO FERRET*,
> *Scire erat in voto*, *damnosa Canicula quantum Raderet.*

---

(103) *Seniliter*, i. e. uti facere solent senes unius oblectationis causa, ludo non multum studii postulante. Huc etiam illud adde, reapse talorum ludum maxime senum proprium fuisse habitum. Quare Cicero de Senect. 16. inquit: *Habeant igitur alii sibi arma*, *sibi equos*, *sibi hastas* .... *nobis senibus ex lusionibus multis talos relinquant*, *et tesseras.*

Id autem non ita accipiendum est, quasi non et ad pueros peculiari quadam ratione ludus talarius pertinuerit. Cui rei comprobandae; ubi cetera desint, satis erunt *Astragalizontes*, quos memorat Plinius II 8. scilicet pueri *talis ludentes* a Polycleto facti. Vbi obiter observa, *astragalos* ipsissimos fuisse talos.

(104) *Iactus Basilicus*, scil. *regius*, idem fuit ac *Venus*, ita praecipue dictus, quod per eum Rex seu Magister convivii crearetur. De hac re fusius in de Conviviis agetur.

cuius lemma est *Tabula lusoria*:

Heic mihi bisseno numeratur Tessera puncto.

At recentiores rursus auctores trinas sua memoria usurpatas ferunt.

Interea ex Graecanico illo, quod modo retulimus, aleatorum carmine recte intelligitur, quodnam sollemne fuerit tesserari ludi genus, illud nimirum ipsum, cuius meminit Pollux VII cap. ult. vocatum Graecis Πλειστοβολίνδα, in eo totum positum, ut qui *plura iaceret puncta*, victor abiret.

Habes iam, quidquid de unaquaque separatim tum Talorum, tum Tesserarum lusione dicendum erat. Accipe nunc reliquum unum, quod ad utramque pariter pertinuit.

Vt in iactandis sive talis, sive tesseris fraus quaelibet procul abesset, vasculum quoddam tereti forma vel corneum, vel buxeum adhiberi solebat, in quod coniecti tali, tesseraeve, atque hac illac agitati, demum in *Alveum* (105) emittebantur. Huius generis vas appellatum *Fritillus*, et *Orca* fuit. Quare Martialis IV 14. inquit:

Dum blanda vagus alea December
Incertis sonat hinc et hinc Fritillis.

---

(105) Inde merito tabula aleatoria *Alveus* appellata creditur, quod quandam cum alveo fluminis similitudinem haberet; quippe cum sicut is ripis definitur, ita illa circumducto labro concluderetur. Memorat eum Plinius XXXVII 2. cum tradit Pompeium triumpho de Asia acto inter alia transtulisse *ALVEVM cum tesseris LVSORIVM e gemmis duabus*, *latum pedes tres*, *longum pedes quatuor*. Eadem tabula *Forum aleatorium* dicta occurrit. Ita apud Suetonium in vita Augusti 71. *Lusimus per omnes dies FORVMque ALEATORIVM calfecimus.*

A Fritillo nihil quidquam discrepasse *Pyrgum* (cui a turrita figura factum nomen est) nonnulli existimant. Alii vero ita alterum ab altero distinguunt, ut his non quidem in manum sumeretur, sed in alveo ipso stabilis consisteret, tum etiam superne apertus, et intus continenti graduum serie instructus, in imo foramen haberet, per quod tali, aut tesserae, e superiori parte deiecti gradatim saliendo in tabulam devolverentur. Huic certe sententiae favere quam maxime videtur Horatianum illud II Sat. 7.

> . . . . *Postquam illi iusta chiragra*
> *Contudit articulos, qui pro se tolleret, atque*
> *Mitteret in Pyrgum talos, mercede diurna*
> *Conductum pavit.*

Ipse porro Pyrgus nuncupatus voce plane Latina fuit *Turricula*.

Postremo etiam advertere haud pigeat, iactum ipsum sive talorum, sive tesserarum, *Bolum* Latinis a Graeco βάλλω (*iacio*) fuisse non raro nuncupatum. Hac notione apud Plautum Curc. V. 2.

> . . . . *Quid ais bone vir? audeo*
> *Si vis tribus Bolis vel in chlamydem.*

§. III.

De Pila.

Aliud ludi genus veteribus Pila praebuit, eaque quadruplex, Trigon, Paganica, Follis, Harpastum. Vniversim autem eiusmodi lusiones uno dictae vocabulo fuere *Sphaeromachia*, qua ratione qui ipsis dabant operam, *Sphaeristae*.

I. Trigon, qui et aliquando simpliciter *Pila* appellatus, inde nomen desumpsisse creditur, quod a tribus collusoribus in trianguli formam dispositis

modo huc, modo illuc ageretur. In eo excipiendo repellendoque peculiare id erat, ut, ne unquam concideret (in quo maxime eius ludi ars fuisse posita videtur), modo dextra, modo sinistra manus adhiberetur. Ita morem hunc significavit Martialis XII 83:

Captabit tepidum dextera, laevaque Trigonem.

Materiam huius pilae, perinde ac reliquarum, pellem fuisse, non est quod in dubium revocetur. Farturam vero, quae non una omnibus, e pilo huic paratam aliquis censuit. Certe quidem eiusmodi re inferciri debuit, unde maior, quam e pluma, firmitudo exsisteret, cum eam aliis duriorem fuisse constet.

II. Paganica a pagis, ubi potissimum agitata, nomenclaturam traxit. E pelle autem fieri, et pluma inserciri solitam non ambigitur.

III. Follis ex aluta erat vento repletus; ut propterea multo ad impellendum robore opus non esset. Hinc ab eodem poëta XIV 45. Follis ipse sic loquens inducitur:

Ite procul iuvenes, mitis mihi convenit aetas:
Folle decet pueros ludere, Folle senes.

Iam ad tria haec simul pilae genera pertinuere locutiones illae *datatim*, et *expulsim ludere*; quae summam ludi rationem, in mittenda remittendaque pila locatam, significabant. Qua etiam de causa qui his ludis operam impendebant, vicissim et *Datores*, et *Factores* sunt nuncupati; quippe qui tum pilam reddendam *darent*, tum veluti propositam rem (i. e. pilae ipsius redditionem) *facerent*. Haec nominum explicatio magis arridet.

IV. Harpastum e corio confictum ἀπὸ τοῦ ἁρπάζειν (*a rapiendo*) id appellationis hausit. In eo enim huius exiguae pilae lusio tota fuisse

fertur, ut divisis hinc et illinc ludentium partibus, altera extra alterius definitos limites illam proiicere conniteretur. Hinc iactato harpasto (scilicet per humum celerrime rotato), plures ex utraque factione illud arripere contendebant, atque ad alios suae partis socios adversariorum finibus propiores transmittere, ut ab his exceptum ultra constitutas metas promitteretur. Ab hac ludi ratione est illud Martialis IV 19.

Sive harpasta manu pulverulenta rapis.

§. IV.

De Turbine, Et Trocho, Paucisque Aliis Ludorum Generibus.

Fuere, qui duo haec puerilium ludorum genera Tvrbinem atque Trochvm unum idemque fuisse opinati sunt. At multo tamen rectius alii plurimum inter eos discrimen antiquitate duce constituerunt.

I. Erat Tvrbo instrumentum ligneum in imo acutum, inque summo latum, quod a pueris in gyrum flagello agebatur. Tota eiusmodi lusio graphice descripta est his Maronis versibus VII 378.

Ceu quondam torto volitans sub verbere Turbo,
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent: ille actus habena
Curvatis fertur spatiis.

Quod vero e buxo plerumque fieret, hinc fuit, ut interdum unico *Buxi* nomine indicaretur. Hoc pacto apud Persium III:

Neu quis callidior Buxum torquere flagello.

II. A Turbine diversissimus exstitit TROCHVS: qui ingens circulus ex aere fuit, omnino canthi instar. Ex quo Martialis, XIV 168. inquit:

Inducenda rota est: das nobis utile munus,
Iste Trochus pueris, at mihi Canthus erit.

Eo ita mos erat ludere, ut multa vi in longum propelleretur, quo diu decurreret versabundus. Quare unus, pluresve in ipsum annuli immitti solebant, non modo ad quoddam aurium oblectamentum, sed in primis etiam ut eorum crepitu praemonita multitudo via decederet; prout significavit idem poëta XIV 167:

Garrulus in laxo cur annulus orbe vagatur?
Cedat ut argutis obvia turba Trochis.

Reliquum nunc est, ut his duabus lusionibus tres alias attexamus: quas utpote notissimas levius ceteris attingere contenti erimus.

III. LVDERE PAR IMPAR id genus erat, quo alter ludentium talis, fabis, nucibus, aut amygdalis manu conclusis alterum interrogabat, paria, an imparia pugno contineret. Si isdivinasset, ea ipsa lucrabatur. sin minus, tantundem exsolvebat.

IV. MICARE DIGITIS in eo vertebatur, ut collusores porrigendis digitis rediturum inde numerum augurarentur. Natum ex eo proverbium declarat Tullius III Off. 19. *Cum fidem*, inquit, *alicuius, bonitatemque laudant, DIGNVM esse dicunt, QVICVM IN TENEBRIS MICES.*

V. Vltimus iam ex his ludis sit ille nobis, quem profert Macrobius I Satur. 7. ubi postquam narravit, pecuniam ita olim fuisse signatam, ut ex altera parte caput Iani, ex altera Saturni navim (qua is in Italiam advectus) exhiberet, tum subdit: *Aes ita fuisse signatum, hodieque intelligitur in aleae lusu; cum pueri denarios in sublime iactantes, CAPITA, aut NAVIM, lusu teste vetustatis, exclamant.*

CAPVT XV.

De Re Vehiculari.

VNiversis aliis propositis adhuc Romanae antiquitatis partibus posthabenda nullo pacto Vehicularis res est, quippe quae non minorem scitu dignarum rerum segetem praebeat: quod sane ex ipsa eius tractatione patebit.

§. I.

De Singulis Vehiculorum Partibus.

Antequam ad ipsa Vehiculorum genera sigillatim inspicienda veniamus, operae pretium erit, nonnulla, quae ad eadem generatim spectant, expedire; ac primum de variis eorum partibus verba facere.

Axis stipes erat, circum quem vertebantur rotae. Eius capitibus, ferro muniri solitis, atque ex utraque parte prominentibus, infigebantur clavi, qui rotas cohiberent, cuique Latinis appellati *obices*. Vnum autem axem habebant currus, qui duabus utebantur rotis; at qui quatuor rotis insistebant, duos, qui discriminis ergo *primus*, et *secundus* dicti sunt.

Rotae duplicis fuere generis, alia e solido ligno, *Tympana* nuncupatae, quae vetus mos, perinde ac praesens, plaustris attribuit; aliae instructae *radiis*, qui pro rotae magnitudine plures pauclorcsve a *modiolo* ad *orbem* protendebantur. Ipsum rotae orbem, quem *curvaturam* quoque dictam invenies, ferreus undique circulus obarmabat, vocatus *canthus*.

Vbi locabantur, qui veherentur, pars ea dicta est Capsvs. Qui nec omnium vehiculorum fuit, nec una semper eademque forma; quippe cum et in quadratam, et in rotundam, et in semirotundam figuram confici soleret. Erat vero plerumque e tabulis compactus: at in aliquo vehiculorum genere, ut suo loco videbitur, e virgultis intextus.

Ante capsum Sedes erat constituta aurigae, eaque plurimis in vehiculis, praecipue vero in itinerariis ac bellicis. Hinc a Phaedro III 7. sic loquens mula inducitur:

Sed istum timeo, SELLA qui PRIMA SEDENS
Iugum flagello temperat lento meum.

Et apud Curtium IV 15. *Auriga Darii, qui ANTE IPSVM SEDENS equos regebat, hasta transfixus est.* Verum hac de re §. sequenti in fine redibit mentio.

E medio axe prominebat Temo, pars universi curus moderatrix.

Summo temoni religabatur Ivgvm, ligneum forme, aliquando ferreum aeneumve. Solebant in eo cuiuspiam animantis, in primisque anserculi, imagines ornamenti gratia confingi. Neque eiusmodi modo, sed alias quoque effigies illic fuisse exhibitas exempla docent. Ita Curtius III 3. de Darii vehiculo haec refert: *Distinguebant internitentes gemmae iugum, ex quo eminebant duo aurea*

simulacra cubitalia, *quorum alterum Nini*, *alterum Beli gerebat effigiem*. Ex quo percipias licet, quare interdum Latinis *caelata iuga* dicere placuerit.

§. II.

De Animalibus Ad Vehicula Iungi Solitis, Deque Variis Ea Iungendi Regendique Rationibus.

I. Cum non unum animalium genus vehiculis alligare mos fuerit, inter reliqua primi fuisse creduntur Boves; de quorum hac in re praestito munere sat multa exstant veterum testimonia. In idem deinde ministerium advocati sunt Asini, quippe qui, ut observavit Columella VII 1. non solum *dorso* per clitellas, sed et *collo* (vehiculum trahendo) *vehere* commode queant, unde est, ut praeter clitellarios, etiam *plostarios* asinos prodat antiquitas. Saepius tamen, quam asini, suas ad id ipsum partes obiere Muli, nec modo ad privatorum, sed ad virorum quoque principum, nec non ad regum imperatorumque passim trahendos currus: qua de causa *Mularum carrucariarum* occurrit facta mentio apud Vlpianum 1. 38. D. de Edicto aedil. Denique omnium ultimi ad hoc officium arcessiti censentur Equi, quos tamen non ultimum inter cetera iugalia inventa locum obtinuisse compertum est.

Atque haec quidem recensita animantia communi ferme instituto adiuncta curribus fuere. Interdum vero, atque aliquibus in locis ferae etiam ad pompam luxumque tali officio sunt mancipatae. Id factitatum apud Indos fuisse de Camelis, testis

est Strabo XV, quod deinde imitati sunt et Ptolemaeus Philadelphus in pompa ab Athenaeo V enarrata, et ex Romanis Imperatoribus Nero, et Heliogabalus, referentibus Suetonio 11. et Lampridio 23. Idem iudicium esto de Elephantis, quos iamdiu ab India regibus, tum ab aliis ad vehicula adhibitos, Roma etiam sub triumphantium curribus, atque sub Augustorum Augustarumque carpentis in censi pompa spectavit. Quod vero valdius mireris, Leones quoque vehiculare iugum subire iussi quando sunt: id quod Romana in urbe M. Antonium primum praestitisse auctor est Plinius VIII 16. Praeter hos autem, a Pardis etiam, Tigribus, Vrsis, Apris tractos nonnunquam fuisse currus, legere dabitur. Adducendis scriptorum auctoritatibus, ut in re non maximi momenti supersedemus.

II. Quod ad iungendi rationem attinet, de ea sententiam, quam protulit, mirificeque firmavit Schefferus in de re Vehicul. I 12. sequi optimum vir. Ipsa sic habet. In bigis duo animantes aequa fronte, intermedio temone, subdebantur. In quadrigis vero duo erant temones, quorum alter alterius capiti aptatus, ut propterea Isidorus eos *perpetuos* appellet: iis autem singulis bina animalia iungebantur, ita ut altera ante alteram incederent. Id ipsum fiebat, cum plura duobus iumentorum paria opus erant, ut cum iis temonum numerus aequaretur. Vnde natum, ut quosdam currus διρρύμους, τριρρύμους, τετραρρύμους (*duobus, tribus, quatuor temonibus ornatos*) Graecia nuncupaverit (106).

(106) Xenophonti V. Paed. dicitur Abradatis currus τετράρρυμος ἐξ ἵππων ὀκτώ, *instructus quatuor temonibus, et equis octo*. Ibidem currus Cyri

ria, quae ei deserviebat, duodecim scriptis, idest lineis, signata erat. Ita vero ludus peragebatur, ut, iactis tesseris, pro vario earundem casu varie calculi, et disponerentur, et agerentur. Rem non obscure significat vetus hoc epigramma *De Tabula*:

Discolor ancipiti sub iactu calculus adstat,
Decertantque simul candidus, atque rubens.
Et quamvis parili scriptorum tramite currant,
Is rapiet palmam, quem bona fata iuvant.

Vbi tamen non ita a sorte successus omnis exspectandus erat, ut non plurimam in eo partem sibi ars vindicaret; cuius, si minus aliud, id quidem certe erat, adversos illius casus emendare atque mollire. Hoc indicavit Terent. Adelph. IV 7. cum ait:

Ita vita est hominum, quasi cum ludas tesseris:
Si illud, quod maxime opus est, iactu non cadit,
Illud, quod cecidit forte, id arte ut corrigas.

Peculiare porro huic ludo fuit, ut si cui calculum *dedisse*, idest e sua cellula movisse doleret, illum permittente collusore *reduceret*. Hinc Cicero apud Nonium II 781. *Itaque*, inquit, *tibi concedo, quod in duodecim scriptis solemus, ut CALCVLVM REDVCAS, si te alicuius DATI poenitet.*

Totius autem huiusce lusus quaenam omnino ratio fuerit, atque unde tandem absoluta exsisteret victoria, exploratum ad id temporis non est.

§. II.

De Talis, Et Tesseris.

Vniversos ludos, quorum eventus sorti non arti commissus videatur, unico *Aleae* (102) nomine comprehendi nemo ignorat. Eiusmodi fuere veteribus Tali, et Tesserae.

I. Nos primum Talos (quos Graeci dixere Ἀστραγάλους) in medium allaturi, in ipso statim ingressu paucis rem illam expediemus, quae plurium scriptorum animos exagitavit, quot scilicet latera tum Talis, tum Tesseris sint assignanda. Itaque cum iis, qui accuratius hac in parte intuiti antiquitatem sunt, asserimus senis quidem Talos praeditos fuisse lateribus, at ex horum numero quatuor tantum ad ludi usum pertinuisse, quibus nimirum illi, cum iacebantur, solebant insistere, et quae propterea sola suas numerorum notas prae se ferebant. Reliqua enim duo ita erant incurva, ut vix ipsis talus stare posset, eaque de causa essent lusui inutilia. Nihil vero est, quod quisquam eam iis Talis formam demiretur, cum

---

(102) Hanc vocem a Graeco ἀλᾶσθαι (*vagari*, *incertumque esse*) deductam credit Vossius. Nam quod de Alea milite dicitur, qui in bello Troiano huius ludorum generis inventor fuerit, sunt merae nugae.

A primigenia interim *alae* notione intelligas licet, quam recte pro *discrimine* adhibitum id vocabulum aliquando sit. Hoc pacto apud Horatium II Od. 1.

Periculosae plenum opus Aleae,

et apud Columellam in praef. Lib. I *Maris, et negotiationis Alea*,

hi non alii fuerint, quam ossicula (eodem a Latinis desiguata nomine) ex animalium bifulcorum pedibus extracta, atque in id figurae genus per naturam ipsam conficta. Et licet deinde ex ebore quoque lusorii tali confici coepti sint, a consueta tamen forma discessum non est.

Iam in quatuor illis, quae indicavimus, talorum lateribus expressa sive per numerorum figuras, sive per puncta erant, *Vnum*, *Tria*, *Quatuor*, *Sex*. E quorum variis in lusione aspectibus, quinque et triginta diversi talorum iactus sive casus (etenim quatuor talis ludebatur) exsistebant. His suas singulis Graeci nomenclaturas accommodarunt: quarum tamen paucae non tam universam talorum faciem, quam singularem numerum aliquem (ut mox liquebit) significabant. Inter eas celeberrimae omnium fuere Ἀφροδίτης, et Κύων, et inde apud Latinos *Venus*, et *Canis*: quarum illa prae reliquis felicissimum, hic infaustissimum iactum indicabat. Hinc Propertius IV 9. cecinit:

Me quoque per talos VENEREM quererente secundos,
Semper damnosi subsiluere CANES.

Fuit autem *Venus* is iactus, quo quatuor tali diversam omnes speciem obiiciebant. Declarat id Martialis XIV 14.

Cum steterit nullus vultu tibi talus eodem,
Munera me dices magna dedisse tibi.

Vocabulum vero *Canis* non quidem omnium simul talorum aspectum, sed (quod constat ex Polluce IX 7.) Vnitatem talo consignatam denotabat, quae cum se ostenderet (modo reliquorum talorum aspectus non ita omnes diversi essent, ut Venerem facerent) aleatori aes veluti mordendo abripiebat. Itaque Augustus apud Suetonium in eius vita 71. sic refert; *Inter coenam lusimus ye-*

φορτικῶς (103) *et heri, et hodie. Talis enim iactatis, ut quisque CANEM, aut Senionem miserat, in singulos talos singulos denarios in medium conferebat; quos tollebat omnes, qui Venerem iecerat.* Qua ipsa de causa qui vulgo *Canis* appellabatur, dictus etiam aliquando fuit *Vulturius*; ut a Plauto Curc. II 3.

> . . . . *Iacit VVLTVRIOS quatuor;*
> *Talos arripio, invoco almam meam nutricem Herem,*
> *Iacto Basilicum* (104).

Ex allato interim Suetonii loco apparet, in eo ludi genere, de quo ibi narratur, *Senionem* (quem Graeci dixere κῷον) fuisse exitialem. Ceterum is ipse plerumque secundus erat, uti testatur Persius Sat. III:

> . . . . *Quid DEXTER SENIO FERRET,*
> *Scire erat in voto, damnosa Canicula quantum*
> *Raderet.*

---

(103) *Seniliter*, i. e. uti facere solent senes animi oblectationis causa, ludo non multum studii postulante. Huc etiam illud adde, reapse talorum ludum maxime senum proprium fuisse habitum. Quare Cicero de Senect. 16. inquit: *Habeant igitur alii sibi arma, sibi equos, sibi hastas . . . nobis senibus ex lusionibus multis talos relinquant, et tesseras.*

Id autem non ita accipiendum est, quasi non et ad pueros peculiari quadam ratione ludus talarius pertinuerit. Cui rei comprobandae, ubi cetera desint, satis erunt *Astragalizontes*, quos memorat Plinius II 8. scilicet pueri *talis ludentes* a Polycleto facti. Vbi obiter observa, *astragalos* ipsissimos fuisse talos.

(104) *Iactus Basilicus*, scil. *regius*, idem fuit ac *Venus*, ita praecipue dictus, quod per eum Rex seu Magister convivii crearetur. De hac re fusius in de Conviviis agetur.

Itaque per Senionem aliquid e cumulo, qui in medio erat, tolli solebat. Quod si vero Senio simul et Canis exsiluisset, tunc alter alterum compensabat, ut nihil nec lucri, nec detrimenti fieret. Quoniam igitur non valebat Senio, si eodem tempore Canis se obtulisset, hinc enatum est Graecis proverbium: *χῖος παραςας κῷον ὐκ ἐᾷ λέγειν*: *Canis adstans Senionem haud sinit loqui*; de iis dictum, qui cum interiores longe essent, maiores tamen continerent compescerentque.

II. Quod porro ad TESSERAS attinet, pro explorato primum habendum est, hanc eis appellationem a Graeco *τεσσαρες* (*quatuor*) arcessitam fuisse, non quod quaterna haberent latera, cum senis essent praeditae, sed quod omni ex parte essent quadratae. Ex quo ipso fuit, ut a Graecis vocarentur *Κύβοι* (*Cubi*); quandoquidem hoc figurae genus tale est, ut a cunctis lateribus formam quadratam habeat.

Cum igitur sex essent Tesserarum latera, quibus eae singulis possent consistere, undique aliquem numerum exhibebant: quare qui duo aberant a talis Binarius et Quinarius, eisdem inerant. Id etiam discriminis inter talorum, et tesserarum ludos intercessit, quod hae non, ut illi, quaternae, sed priscis quidem temporibus plerumque ternae, sequiore dein aevo binae, postremo iterum ternae fuerint adhibitae. Ternarium hunc tesserarum numerum satis ostendit Graecum illud effatum, quod lusoribus frequens erat in ore: *ἢ τρεῖς ἕξ, ἢ τρεῖς κύβοι*, *aut ter sex*, *aut tria puncta* (ita enim heic est accipienda vox *κύβοι*); per quod illi iactitantes tesseras petebant sibi aut prosperrimum, aut infelicissimum iactum, quasi dicerent, *aut omnia*, *aut nihil*. Aetate vero suà Martialis duas tantum ob oculos ponit XIV epigrammate 15.

cuius lemma est *Tabula lusoria*:

Heic mihi bisseno numeratur Tessera puncto.

At recentiores rursus auctores trinas sua memoria usurpatas ferunt.

Interea ex Graecanico illo, quod modo retulimus, aleatorum carmine recte intelligitur, quodnam sollemne fuerit tesserari ludi genus, illud nimirum ipsum, cuius meminit Pollux VII cap. ult. vocatum Graecis Πλειστοβολίνδα, in eo totum positum, ut qui *plura iaceret puncta*, victor abiret.

Habes iam, quidquid de unaquaque separatim tum Talorum, tum Tesserarum lusione dicendum erat. Accipe nunc reliquum unum, quod ad utramque pariter pertinuit.

Vt in iactandis sive talis, sive tesseris fraus quaelibet procul abesset, vasculum quoddam tereti forma vel corneum, vel buxeum adhiberi solebat, in quod coniecti tali, tesseraeve, atque hac illac agitati, demum in *Alveum* (105) emittebantur. Huius generis vas appellatum *Fritillus*, et *Orca* fuit. Quare Martialis IV 14. inquit:

Dum blanda vagus alea December
Incertis sonat hinc et hinc Fritillis.

---

(105) Inde merito tabula aleatoria *Alveus* appellata creditur, quod quandam cum alveo fluminis similitudinem haberet; quippe cum sicut is ripis definitur, ita illa circumducto labro concluderetur. Memorat eum Plinius XXXVII 2. cum tradit Pompeium triumpho de Asia acto inter alia transtulisse *ALVEVM cum tesseris LVSORIVM e gemmis duabus, latum pedes tres, longum pedes quatuor*. Eadem tabula *Forum aleatorium* dicta occurrit. Ita apud Suetonium in vita Augusti 71. *Lusimus per omnes dies FORVMque ALEATORIVM calfecimus*.

A Fritillo nihil quidquam discrepasse *Pyrgum* (cui a turrita figura factum nomen est) nonnulli existimant. Alii vero ita alterum ab altero distinguunt, ut his non quidem in manum sumeretur, sed in alveo ipso stabilis consisteret, tum etiam superne apertus, et intus continenti graduum serie instructus, in imo foramen haberet, per quod tali, aut tesserae, e superiori parte deiecti gradatim saliendo in tabulam devolverentur. Huic certe sententiae favere quam maxime videtur Horatianum illud II Sat. 7.

. . . . *Postquam illi iusta chiragra*
Contudit articulos, qui pro se tolleret, atque
Mitteret in Pyrgum talos, mercede diurna
Conductum pavit.

Ipse porro Pyrgus nuncupatus voce plane Latina fuit *Turricula*.

Postremo etiam advertere haud pigeat, iactum ipsum sive talorum, sive tesserarum, *Bolum* Latinis a Graeco βάλλω (*iacio*) fuisse non raro nuncupatum. Hac notione apud Plautum Curc. V. 2.

. . . . *Quid ais bone vir? audeo*
Si vis tribus Bolis vel in chlamydem.

§. III.

De Pila.

Aliud ludi genus veteribus PILA praebuit; eaque quadruplex, TRIGON, PAGANICA, FOLLIS, HARPASTVM. Vniversim autem eiusmodi lusiones uno dictae vocabulo fuere *Sphaeromachia*; qua ratione qui ipsis dabant operam, *Sphaeristae*.

I. TRIGON, qui et aliquando simpliciter *Pila* appellatus, inde nomen desumpsisse creditur, quod a tribus collusoribus in trianguli formam dispositis

modo huc, modo illuc ageretur. In eo excipiendo repellendoque peculiare id erat, ut, ne unquam concideret (in quo maxime eius ludi ars fuisse posita videtur), modo dextra, modo sinistra manus adhiberetur. Ita morem hunc significavit Martialis XII 83:

Captabit tepidum dextera, laevaque Trigonem.

Materiam huius pilae, perinde ac reliquarum, pellem fuisse, non est quod in dubium revocetur. Farturam vero, quae non una omnibus, e pilo huic paratam aliquis censuit. Certe quidem eiusmodi re inferciri debuit, unde maior, quam e pluma, firmitudo exsisteret, cum eam aliis duriorem fuisse constet.

II. Paganica a pagis, ubi potissimum agitata, nomenclaturam traxit. E pelle autem fieri, et pluma inserciri solitam non ambigitur.

III. Follis ex aluta erat vento repletus; ut propterea multo ad impellendum robore opus non esset. Hinc ab eodem poëta XIV 45. Follis ipse sic loquens inducitur:

Ite procul iuvenes, mitis mihi convenit aetas:
Folle decet pueros ludere, Folle senes.

Iam ad tria haec simul pilae genera pertinuere locutiones illae *datatim*, et *expulsim ludere*; quae summam ludi rationem, in mittenda remittendaque pila locatam, significabant. Qua etiam de causa qui his ludis operam impendebant, vicissim et *Datores*, et *Factores* sunt nuncupati; quippe qui tum pilam reddendam *darent*, tum veluti propositam rem (i. e. pilae ipsius redditionem) *facerent*. Haec nominum explicatio magis arridet.

IV. Harpastum e corio confictum ἀπὸ τοῦ ἁρπάζειν (*a rapiendo*) id appellationis hausit. In eo enim huius exiguae pilae lusio tota fuisse

fertur, ut divisis hinc et illinc ludentium partibus, altera extra alterius definitos limites illam proiicere conniteretur. Hinc iactato harpasto (scilicet per humum celerrime rotato), plures ex utraque factione illud arripere contendebant, atque ad alios suae partis socios adversariorum finibus propiores transmittere, ut ab his exceptum ultra constitutas metas promitteretur. Ab hac ludi ratione est illud Martialis IV. 19.

Sive harpasta manu pulverulenta rapis.

§. IV.

De Turbine, Et Trocho, Paucisque Aliis Ludorum Generibus.

Fuere, qui duo haec puerilium ludorum genera Tvrbinem atque Trochvm unum idemque fuisse opinati sunt. At multo tamen rectius alii plurimum inter eos discrimen antiquitate duce constituerunt.

I. Erat Tvrbo instrumentum ligneum in imo acutum, inque summo latum, quod a pueris in gyrum flagello agebatur. Tota eiusmodi lusio graphice descripta est his Maronis versibus VII 378.

Ceu quondam torto volitans sub verbere Turbo,
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent: ille actus habena
Curvatis fertur spatiis.

Quod vero e buxo plerumque fieret, hinc fuit, ut interdum unico *Buxi* nomine indicaretur. Hoc pacto apud Persium III.:

Neu quis callidior Buxum torquere flagello.

II. A Turbine diversissimus exstitit Trochus: qui ingens circulus ex aere fuit, omnino canthi instar. Ex quo Martialis XIV 168. inquit:

Inducenda rota est: das nobis utile munus,
Iste Trochus pueris, at mihi Canthus erit.

Eo ita mos erat ludere, ut multa vi in longum propelleretur, quo diu decurreret versabundus. Quare unus, pluresve in ipsum annuli immitti solebant, non modo ad quoddam aurium oblectamentum, sed in primis etiam ut eorum crepitu praemonita multitudo via decederet; prout significavit idem poëta XIV 167:

Garrulus in laxo cur annulus orbe vagatur?
Cedat ut argutis obvia turba Trochis.

Reliquum nunc est, ut his duabus lusionibus tres alias attexamus: quas utpote notissimas levius ceteris attingere contenti erimus.

III. Ludere par impar id genus erat, quo alter ludentium talis, fabis, nucibus, aut amygdalis manu conclusis alterum interrogabat, paria, an imparia pugno contineret. Si isdivinasset, ea ipsa lucrabatur. sin minus, tantundem exsolvebat.

IV. Micare digitis in eo vertebatur, ut collusores porrigendis digitis rediturum inde numerum augurarentur. Natum ex eo proverbium declarat Tullius III Off. 19. *Cum fidem*, inquit, *alicuius, bonitatemque laudant, DIGNUM esse dicunt, QUICUM IN TENEBRIS MICES.*

V. Ultimus iam ex his ludis sit ille nobis, quem profert Macrobius I Satur. 7. ubi postquam narravit, pecuniam ita olim fuisse signatam, ut ex altera parte caput Iani, ex altera Saturni navim (qua is in Italiam advectus) exhiberet, tum subdit: *Aes ita fuisse signatum, hodieque intelligitur in aleae lusu; cum pueri denarios in sublime iactantes, CAPITA, aut NAVIM, lusu teste vetustatis, exclamant.*

CAPVT XV.

De Re Vehiculari.

VNiversis aliis propositis adhuc Romanae antiquitatis partibus posthabenda nullo pacto Vehicularis res est, quippe quae non minorem scitu dignarum rerum segetem praebeat: quod sane ex ipsa eius tractatione patebit.

§. I.

De Singulis Vehiculorum Partibus.

Antequam ad ipsa Vehiculorum genera sigillatim inspicienda veniamus, operae pretium erit, nonnulla, quae ad eadem generatim spectant, expedire; ac primum de variis eorum partibus verba facere.

Axis stipes erat, circum quem vertebantur rotae. Eius capitibus, ferro muniri solitis, atque ex utraque parte prominentibus, infigebantur clavi, qui rotas cohiberent, cuique Latinis appellati *obices*. Vnum autem axem habebant currus, qui duabus utebantur rotis; at qui quatuor rotis insistebant, duos, qui discriminis ergo *primus*, et *secundus* dicti sunt.

Rotae duplicis fuere generis, alia e solido ligno, *Tympana* nuncupatae, quae vetus mos, perinde ac praesens, plaustris attribuit; aliae instructae *radiis*, qui pro rotae magnitudine plures pauciores ve a *modiolo* ad *orbem* protendebantur. Ipsum rotae orbem, quem *curvaturam* quoque dictam invenies, ferreus undique circulus obarmabat, vocatus *canthus*.

Vbi locabantur, qui veherentur, pars ea dicta est Capsvs. Qui nec omnium vehiculorum fuit, nec una semper eademque forma; quippe cum et in quadratam, et in rotundam, et in semirotundam figuram confici soleret. Erat vero plerumque e tabulis compactus: at in aliquo vehiculorum genere, ut suo loco videbitur, e virgultis intextus.

Ante capsum Sedes erat constituta aurigae, eaque plurimis in vehiculis, praecipue vero in itinerariis ac bellicis. Hinc a Phaedro III 7. sic loquens mula inducitur:

Sed istum timeo, SELLA qui PRIMA SEDENS
Iugum flagello temperat lento meum.

Et apud Curtium IV 15. *Auriga Darii, qui ANTE IPSVM SEDENS equos regebat, hasta transfixus est.* Verum hac de re §. sequenti in fine redibit mentio.

E medio axe prominebat Temo, pars universi currus moderatrix.

Summo temoni religabatur Ivgvm, ligneum ferme, aliquando ferreum aeneumve. Solebant in eo cuiuspiam animantis, in primisque anserculi, imagines ornamenti gratia confingi. Neque eiusmodi modo, sed alias quoque effigies illic fuisse exhibitas exempla docent. Ita Curtius III 3. de Darii vehiculo haec refert: *Distinguebant internitentes gemmae iugum, ex quo eminebant duo aurea*

simulacra cubitalia, *quorum alterum Nini*, *alterum Beli gerebat effigiem.* Ex quo percipias licet, quare interdum Latinis *caelata iuga* dicere placuerit.

§. II.

De Animalibus Ad Vehicula Iungi Solitis. Deque Variis Ea Iungendi Regendique Rationibus.

I. Cum non unum animalium genus vehiculis alligare mos fuerit, inter reliqua primi fuisse creduntur Boves; de quorum hac in re praestito munere sat multa exstant veterum testimonia. In idem deinde ministerium advocati sunt Asini, quippe qui, ut observavit Columella VII 1. non solum *dorso* per clitellas, sed et *collo* (vehiculum trahendo) *vehere* commode queant, unde est, ut praeter clitellarios, etiam *plostarios* asinos predat antiquitas. Saepius tamen, quam asini, suas ad id ipsum partes obiere Muli, nec modo ad privatorum, sed ad virorum quoque principum, nec non ad regum imperatorumque passim trahendos currus: qua de causa *Mularum carrucariarum* occurrit facta mentio apud Vlpianum l. 38. D. de Edicto aedil. Denique omnium ultimi ad hoc officium arcessiti censentur Equi, quos tamen non ultimum inter cetera iugalia inventa locum obtinuisse compertum est.

Atque haec quidem recensita animantia communi ferme instituto adiuncta curribus fuere. Interdum vero, atque aliquibus in locis ferae etiam ad pompam luxumque tali officio sunt mancipatae. Id factitatum apud Indos fuisse de Camelis, testis

est Strabo XV, quod deinde imitati sunt et Ptolemaeus Philadelphus in pompa ab Athenaeo V enarrata, et ex Romanis Imperatoribus Nero, et Heliogabalus, referentibus Suetonio 11. et Lampridio 23. Idem iudicium esto de Elephantis, quos iamdiu ab India regibus, tum ab aliis ad vehicula adhibitos, Roma etiam sub triumphantium curribus, atque sub Augustorum Augustarumque carpentis in censi pompa spectavit. Quod vero valdius mireris Leones quoque vehiculare iugum subire iussi quando sunt; id quod Romana in urbe M. Antonium primum praestitisse auctor est Plinius VIII 16. Praeter hos autem, a Pardis etiam, Tigribus, Vrsis, Apris tractos nonnunquam fuisse currus, legere dabitur. Adducendis scriptorum auctoritatibus, ut in re non maximi momenti supersedemus.

II. Quod ad iungendi rationem attinet, de ea sententiam, quam protulit, mirificeque firmavit Schefferus in de re Vehicul. I 12. sequi optimum videtur. Ipsa sic habet. In bigis duo animantes in aequa fronte, intermedio temone, subdebantur. In quadrigis vero duo erant temones, quorum uter alterius capiti aptatus, ut propterea Isidorus eos *perpetuos* appellet: iis autem singulis bina animalia iungebantur, ita ut altera ante altera incederent. Id ipsum fiebat, cum plura duobus iumentorum paria opus erant, ut cum iis temonum numerus aequaretur. Vnde natum, ut quosdam currus διρρύμους, τριρρύμους, τετραρρύμους (*duobus, tribus, quatuor temonibus ornatos*) Graecia nuncupaverit (106).

(106) Xenophonti V. Paed. dicitur Abradatis currus τετράρρυμος ἐξ ἵππων ὀκτὼ, *instructus quatuor temonibus, et equis octo*. Ibidem currus Cyri ἑπτά-

ria, quae ei deserviebat, duodecim scriptis, idest lineis, signata erat. Ita vero ludus peragebatur, ut, iactis tesseris, pro vario earundem casu varie calculi, et disponerentur, et agerentur. Rem non obscure significat vetus hoc epigramma *De Tabula*:

Discolor ancipiti sub iactu calculus adstat,
Decertantque simul candidus, atque rubens.
Et quamvis parili scriptorum tramite currant,
Is rapiet palmam, quem bona fata iuvant.

Vbi tamen non ita a sorte successus omnis exspectandus erat, ut non plurimam in eo partem sibi ars vindicaret; cuius, si minus aliud, id quidem certe erat, adversos illius casus emendare atque mollire. Hoc indicavit Terent. Adelph. IV 7. cum ait:

Ita vita est hominum, quasi cum ludas tesseris:
Si illud, quod maxime opus est, iactu non cadit,
Illud, quod cecidit forte, id arte ut corrigas.

Peculiare porro huic ludo fuit, ut si cui calculum *dedisse*, idest e sua cellula movisse doleret, illum permittente collusore *reduceret*. Hinc Cicero apud Nonium II 781. *Itaque*, inquit, *tibi concedo, quod in duodecim scriptis solemus, ut CALCVLVM REDVCAS, si te alicuius DATI poenitet.*

Totius autem huiusce lusus quaenam omnino ratio fuerit, atque unde tandem absoluta exsisteret victoria, exploratum ad id temporis non est.

§. II.

De Talis, Et Tesseris.

Vniversos ludos, quorum eventus sorti non arti commissus videatur, unico *Aleae* (102) nomine comprehendi nemo ignorat. Eiusmodi fuere veteribus Tali, et Tesserae.

I. Nos primum Talos (quos Graeci dixere Ἀστραγάλους) in medium allaturi, in ipso statim ingressu paucis rem illam expediemus, quae plurium scriptorum animos exagitavit, quot scilicet latera tum Talis, tum Tesseris sint assignanda. Itaque cum iis, qui accuratius hac in parte intuiti antiquitatem sunt, asserimus senis quidem Talos praeditos fuisse lateribus, at ex horum numero quatuor tantum ad ludi usum pertinuisse, quibus nimirum illi, cum iacebantur, solebant insistere, et quae propterea sola suas numerorum notas prae se ferebant. Reliqua enim duo ita erant incurva, ut vix ipsis talus stare posset, eaque de causa essent lusui inutilia. Nihil vero est, quod quisquam eam iis Talis formam demiretur, cum

---

(102) Hanc vocem a Graeco ἀλᾶσθαι (*vagari*, *incertumque esse*) deductam credit Vossius. Nam quod de Alea milite dicitur, qui in bello Troiano huius ludorum generis inventor fuerit, sunt merae nugae.

A primigenia interim *alae* notione intelligas licet, quam recte pro *discrimine* adhibitum id vocabulum aliquando sit. Hoc pacto apud Horatium II Od. 1.

Periculosae plenum opus Aleae,

et apud Columellam in praef. Lib. I *Maris, et negotiationis Alea*,

hi non alii fuerint, quam ossicula (eodem a Latinis designata nomine) ex animalium bifulcorum pedibus extracta, atque in id figurae genus per naturam ipsam conficta. Et licet deinde ex ebore quoque lusorii tali confici coepti sint, a consueta tamen forma discessum non est.

Iam in quatuor illis[1], quae indicavimus, talorum lateribus expressa sive per numerorum figuras, sive per puncta erant, *Vnum*, *Tria*, *Quatuor*, *Sex*. E quorum variis in lusione aspectibus, quinque et triginta diversi talorum iactus sive casus (etenim quatuor talis ludebatur) exsistebant. His suas singulis Graeci nomenclaturas accommodarunt: quarum tamen paucae non tam universam talorum faciem, quam singularem numerum aliquem (ut mox liquebit) significabant. Inter eas celeberrimae omnium fuere Ἀφροδίτης, et Κύων, et inde apud Latinos *Venus*, et *Canis*: quarum illa prae reliquis felicissimum, hic infaustissimum iactum indicabat. Hinc Propertius IV 9. cecinit:

Me quoque per talos VENEREM querente secundos,
Semper damnosi subsiluere CANES.

Fuit autem *Venus* is iactus, quo quatuor tali diversam omnes speciem obiiciebant. Declarat id Martialis XIV 14.

Cum steterit nullus vultu tibi talus eodem,
Munera me dices magna dedisse tibi.

Vocabulum vero *Canis* non quidem omnium simul talorum aspectum, sed (quod constat ex Polluce IX 7.) Vnitatem talo consignatam denotabat, quae cum se ostenderet (modo reliquorum talorum aspectus non ita omnes diversi essent, ut Venerem facerent) aleatori aes veluti mordendo abripiebat. Itaque Augustus apud Suetonium in eius vita 71. sic refert: *Inter coenam lusimus γε-*

ροντικῶς (103) *et heri, et hodie. Talis enim iactatis, ut quisque CANEM, aut Senionem miserat, in singulos talos singulos denarios in medium conferebat; quos tollebat omnes, qui Venerem iecerat.* Qua ipsa de causa qui vulgo *Canis* appellabatur, dictus etiam aliquando fuit *Vulturius*; ut a Plauto Curc. II 3.

> . . . . *Iacit VVLTVRIOS quatuor;*
> *Talos arripio, invoco almam meam nutricem*
> *Herem,*
> *Iacto Basilicum* (104).

Ex allato interim Suetonii loco apparet, in eo ludi genere, de quo ibi narratur, *Senionem* (quem Graeci dixere *κῶον*) fuisse exitialem. Ceterum is ipse plerumque secundus erat, uti testatur Persius Sat. III:

> . . . . *Quid DEXTER SENIO FERRET,*
> *Scire erat in voto, damnosa Canicula quantum*
> *Raderet.*

---

(103) *Seniliter*, i. e. uti facere solent senes unius oblectationis causa, ludo non multum studii postulante. Huc etiam illud adde, reapse talorum ludum maxime senum proprium fuisse habitum. Quare Cicero de Senect. 16. inquit: *Habeant igitur alii sibi arma, sibi equos, sibi hastas . . . nobis senibus ex lusionibus multis talos relinquant, et tesseras.*

Id autem non ita accipiendum est, quasi non et ad pueros peculiari quadam ratione ludus talarius pertinuerit. Cui rei comprobandae, ubi cetera desint, satis erunt *Astragalizontes*, quos memorat Plinius II 8. scilicet pueri *talis ludentes* a Polycleto facti. Vbi obiter observa, *astragalos* ipsissimos fuisse talos.

(104) *Iactus Basilicus*, scil. *regius*, idem fuit ac *Venus*, ita praecipue dictus, quod per eum Rex seu Magister convivii crearetur. De hac re fusius in de Conviviis agetur.

cuius lemma est *Tabula lusoria*:

Heic mihi bisseno numeratur Tessera puncto.

At recentiores rursus auctores trinas sua memoria usurpatas ferunt.

Interea ex Graecanico illo, quod modo retulimus, aleatorum carmine recte intelligitur, quodnam sollemne fuerit tesserari ludi genus, illud nimirum ipsum, cuius meminit Pollux VII cap. ult. vocatum Graecis Πλειστοβολίνδα, in eo totum positum, ut qui *plura iaceret puncta*, victor abiret.

Habes iam, quidquid de unaquaque separatim tum Talorum, tum Tesserarum lusione dicendum erat. Accipe nunc reliquum unum, quod ad utramque pariter pertinuit.

Vt in iactandis sive talis, sive tesseris fraus quaelibet procul abesset, vasculum quoddam tereti forma vel corneum, vel buxeum adhiberi solebat; in quod coniecti tali, tesseraeve, atque hac illac agitati, demum in *Alveum* (105) emittebantur. Huius generis vas appellatum *Fritillus*, et *Orca* fuit. Quare Martialis IV 14. inquit:

Dum blanda vagus alea December
Incertis sonat hinc et hinc Fritillis.

---

(105) Inde merito tabula aleatoria *Alveus* appellata creditur, quod quandam cum alveo fluminis similitudinem haberet; quippe cum sicut is ripis definitur, ita illa circumducto labro concluderetur. Memorat eum Plinius XXXVII 2. cum tradit Pompeium triumpho de Asia acto inter alia transtulisse *ALVEVM cum tesseris LVSORIVM e gemmis duabus, latum pedes tres, longum pedes quatuor*. Eadem tabula *Forum aleatorium* dicta occurrit. Ita apud Suetonium in vita Augusti 71. *Lusimus per omnes dies FORVMque ALEATORIVM calfecimus.*

A Fritillo nihil quidquam discrepasse *Pyrgum* (cui a turrita figura factum nomen est) nonnulli existimant. Alii vero ita alterum ab altero distinguunt, ut his non quidem in manum sumeretur, sed in alveo ipso stabilis consisteret, tum etiam superne apertus, et intus continenti graduum serie instructus, in imo foramen haberet, per quod tali, aut tesserae, e superiori parte deiecti gradatim saliendo in tabulam devolverentur. Huic certe sententiae favere quam maxime videtur Horatianum illud II Sat. 7.

. . . . *Postquam illi iusta chiragra*
Contudit articulos, qui pro se tolleret, atque
Mitteret in Pyrgum talos, mercede diurna
Conductum pavit.

Ipse porro Pyrgus nuncupatus voce plane Latina fuit *Turricula.*

Postremo etiam advertere haud pigeat, iactum ipsum sive talorum, sive tesserarum, *Bolum* Latinis a Graeco βάλλω (*iacio*) fuisse non raro nuncupatum. Hac notione apud Plautum Curc. V. 2.

. . . . *Quid ais bone vir? audeo*
Si vis tribus Bolis vel in chlamydem.

§. III.

De Pila.

Aliud ludi genus veteribus Pila praebuit, eaque quadruplex, Trigon, Paganica, Follis, Harpastum. Universim autem eiusmodi lusiones uno dictae vocabulo fuere *Sphaeromachia*; qua ratione qui ipsis dabant operam, *Sphaeristae*.

I. Trigon, qui et aliquando simpliciter *Pila* appellatus, inde nomen desumpsisse creditur, quod a tribus collusoribus in trianguli formam dispositis

modo huc, modo illuc ageretur. In eo excipiendo repellendoque peculiare id erat, ut, ne unquam concideret (in quo maxime eius ludi ars fuisse posita videtur), modo dextra, modo sinistra manus adhiberetur. Ita morem hunc significavit Martialis XII 82:

Captabit tepidum dextera, laevaque Trigonem.

Materiam huius pilae, perinde ac reliquarum, pellem fuisse, non est quod in dubium revocetur. Farturam vero, quae non una omnibus, e pilo huic paratam aliquis censuit. Certe quidem eiusmodi re inferciri debuit, unde maior, quam e pluma, firmitudo exsisteret, cum eam aliis duriorem fuisse constet.

II. Paganica a pagis, ubi potissimum agitata, nomenclaturam traxit. E pelle autem fieri, et pluma inserciri solitam non ambigitur.

III. Follis ex aluta erat vento repletus; ut propterea multo ad impellendum robore opus non esset. Hinc ab eodem poëta XIV 45. Follis ipse sic loquens inducitur:

Ite procul iuvenes, mitis mihi convenit aetas:
Folle decet pueros ludere, Folle senes.

Iam ad tria haec simul pilae genera pertinuere locutiones illae *datatim*, et *expulsim ludere*; quae summam ludi rationem, in mittenda remittendaque pila locatam, significabant. Qua etiam de causa qui his ludis operam impendebant, vicissim et *Datores*, et *Factores* sunt nuncupati; quippe qui tum pilam reddendam *darent*, tum veluti propositam rem (i. e. pilae ipsius redditionem) *facerent*. Haec nominum explicatio magis arridet.

IV. Harpastum e corio confictum ἀπὸ τοῦ ἁρπάζειν (*a rapiendo*) id appellationis hausit. In eo enim huius exiguae pilae lusio tota fuisse

fertur, ut divisis hinc et illinc ludentium partibus, altera extra alterius definitos limites illam proiicere conniteretur. Hinc iactato harpasto (scilicet per humum celerrime rotato)*, plures ex utraque factione illud arripere contendebant, atque ad alios suae partis socios adversariorum finibus propiores transmittere, ut ab his exceptum ultra constitutas metas promitteretur. Ab hac ludi ratione est illud Martialis IV 19.

Sive harpasta manu pulverulenta rapis.

§. IV.

De Turbine, Et Trocho, Paucisque Aliis Ludorum Generibus.

Fuere, qui duo haec puerilium ludorum genera Tvrbinem atque Trochvm unum idemque fuisse opinati sunt. At multo tamen rectius alii plurimum inter eos discrimen antiquitate duce constituerunt.

I. Erat Tvrbo instrumentum ligneum in imo acutum, inque summo latum, quod a pueris in gyrum flagello agebatur. Tota eiusmodi lusio graphice descripta est his Maronis versibus VII 378.

Ceu quondam torto volitans sub verbere Turbo,
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent: ille actus habena
Curvatis fertur spatiis.

Quod vero e buxo plerumque fieret, hinc fuit, ut interdum unico *Buxi* nomine indicaretur. Hoc pacto apud Persium III:

Neu quis callidior Buxum torquere flagello.

II. A Turbine diversissimus exstitit TROCHVS: qui ingens circulus ex aere fuit, omnino canthi instar. Ex quo Martialis XIV 168. inquit:

Inducenda rota est: das nobis utile munus,
Iste Trochus pueris, at mihi Canthus erit.

Eo ita mos erat ludere, ut multa vi in longum propelleretur, quo diu decurreret versabundus. Quare unus, pluresve in ipsum annuli immitti solebant, non modo ad quoddam aurium oblectamentum, sed in primis etiam ut eorum crepitu praemonita multitudo via decederet; prout significavit idem poëta XIV 167:

Garrulus in laxo cur annulus orbe vagatur?
Cedat ut argutis obvia turba Trochis.

Reliquum nunc est, ut his duabus lusionibus tres alias attexamus: quas utpote notissimas levius ceteris attingere contenti erimus.

III. LVDERE PAR IMPAR id genus erat, quo alter ludentium talis, fabis, nucibus, aut amygdalis manu conclusis alterum interrogabat, paria, an imparia pugno contineret. Si is divinasset, ea ipsa lucrabatur. sin minus, tantundem exsolvebat.

IV. MICARE DIGITIS in eo vertebatur, ut collusores porrigendis digitis redituram inde numerum augurarentur. Natum ex eo proverbium declarat Tullius III Off. 19. *Cum fidem*, inquit, *alicuius, bonitatemque laudant, DIGNVM esse dicunt, QVICVM IN TENEBRIS MICES.*

V. Vltimus iam ex his ludis sit ille nobis, quem profert Macrobius I Satur. 7. ubi postquam narravit, pecuniam ita olim fuisse signatam, ut ex altera parte caput Iani, ex altera Saturni navim (qua is in Italiam advectus) exhiberet, tum subdit: *Aes ita fuisse signatum, hodieque intelligitur in aleae lusu; cum pueri denarios in sublime iactantes, CAPITA, aut NAVIM, lusu teste vetustatis, exclamant.*

CAPVT XV.

De Re Vehiculari.

VNiversis aliis propositis adhuc Romanae antiquitatis partibus posthabenda nullo pacto Vehicularis res est, quippe quae non minorem scitu dignarum rerum segetem praebeat: quod sane ex ipsa eius tractatione patebit.

§. I.

De Singulis Vehiculorum Partibus.

Antequam ad ipsa Vehiculorum genera sigillatim inspicienda veniamus, operae pretium erit, nonnulla, quae ad eadem generatim spectant, expedire; ac primum de variis eorum partibus verba facere.

Axis stipes erat, circum quem vertebantur rotae. Eius capitibus, ferro muniri solitis, atque ex utraque parte prominentibus, infigebantur clavi, qui rotas cohiberent, quique Latinis appellati *obices*. Vnum autem axem habebant currus, qui duabus utebantur rotis; at qui quatuor rotis insistebant, duos, qui discriminis ergo *primus*, et *secundus* dicti sunt.

Rotae duplicis fuere generis, alia e solido ligno, *Tympana* nuncupatae, quae vetus mos, perinde ac praesens, plaustris attribuit; aliae instructae *radiis*, qui pro rotae magnitudine plures pauciores ve a *modiolo* ad *orbem* protendebantur. Ipsum rotae orbem, quem *curvaturam* quoque dictam invenies, ferreus undique circulus obarmabat, vocatus *canthus*.

Vbi locabantur, qui veherentur, pars ea dicta est Capsvs. Qui nec omnium vehiculorum fuit, nec una semper eademque forma; quippe cum et in quadratam, et in rotundam, et in semirotundam figuram confici soleret. Erat vero plerumque e tabulis compactus: at in aliquo vehiculorum genere, ut suo loco videbitur, e virgultis intextus.

Ante capsum Sedes erat constituta aurigae, eaque plurimis in vehiculis, praecipue vero in itinerariis ac bellicis. Hinc a Phaedro III 7. sic loquens mula inducitur:

Sed istum timeo, SELLA qui PRIMA SEDENS
Iugum flagello temperat lento meum.

Et apud Curtium IV 15. *Auriga Darii, qui ANTE IPSVM SEDENS equos regebat, hasta transfixus est.* Verum hac de re §. sequenti in fine redibit mentio.

E medio axe prominebat Temo, pars universi currus moderatrix.

Summo temoni religabatur Ivgvm, ligneum forme, aliquando ferreum aeneumve. Solebant in eo cuiuspiam animantis, in primisque anserculi, imagines ornamenti gratia confingi. Neque eiusmodi modo, sed alias quoque effigies illic fuisse exhibitas exempla docent. Ita Curtius III 3. de Darii vehiculo haec refert: *Distinguebant internitentes gemmae iugum, ex quo eminebant duo aurea*

simulacra cubitalia, quorum alterum Nini, alterum Beli gerebat effigiem. Ex quo percipias licet, quare interdum Latinis *caelata iuga* dicere placuerit.

§. II.

De Animalibus Ad Vehicula Iungi Solitis, Deque Variis Ea Iungendi Regendique Rationibus.

I. Cum non unum animalium genus vehiculis alligare mos fuerit, inter reliqua primi fuisse creduntur Boves; de quorum hac in re praestito munere sat multa exstant veterum testimonia. In idem deinde ministerium advocati sunt Asini, quippe qui, ut observavit Columella VII 1. non solum *dorso* per clitellas, sed et *collo* (vehiculum trahendo) *vehere* commode queant, unde est, ut praeter clitellarios, etiam *plostarios* asinos prodat antiquitas. Saepius tamen, quam asini, suas ad id ipsum partes obiere Muli, nec modo ad privatorum, sed ad virorum quoque principum, nec non ad regum imperatorumque passim trahendos currus: qua de causa *Mularum carrucariarum* occurrit facta mentio apud Vlpianum l. 38. D. de Edicto aedil. Denique omnium ultimi ad hoc officium arcessiti censentur Equi, quos tamen non ultimum inter cetera iugalia iumenta locum obtinuisse compertum est.

Atque haec quidem recensita animantia communi ferme instituto adiuncta curribus fuere. Interdum vero, atque aliquibus in locis ferae etiam ad pompam luxumque tali officio sunt mancipatae. Id factitatum apud Indos fuisse de Camelis, testis

est Strabo XV, quod deinde imitati sunt et Ptolemaeus Philadelphus in pompa ab Athenaeo V enarrata, et ex Romanis Imperatoribus Nero, et Heliogabalus, referentibus Suetonio 11. et Lampridio 23. Idem iudicium esto de Elephantis, quos iamdiu ab India regibus, tum ab aliis ad vehicula adhibitos, Roma etiam sub triumphantium curribus, atque sub Augustorum Augustarumque carpentis in censi pompa spectavit. Quod vero valdius mirere, Leones quoque vehiculare iugum subire iussi quando sunt: id quod Romana in urbe M. Antonium primum praestitisse auctor est Plinius VIII 16. Praeter hos autem, a Pardis etiam, Tigribus, Vrsis, Apris tractos nonnunquam fuisse currus, legere dabitur. Adducendis scriptorum auctoritatibus, ut in re non maximi momenti, supersedemus.

II. Quod ad iungendi rationem attinet, de ea sententiam, quam protulit, mirificeque firmavit Schefferus in de re Vehicul. I 12. sequi optimum videtur. Ipsa sic habet. In bigis duo animantes in aequa fronte, intermedio temone, subdebantur. In quadrigis vero duo erant temones, quorum ter alterius capiti aptatus, ut propterea Isidorus eos *perpetuos* appellet: iis autem singulis bina animalia iungebantur, ita ut altera ante altera incederent. Id ipsum fiebat, cum plura duobus iumentorum paria opus erant, ut cum iis temonum numerus aequaretur. Vnde natum, ut quosdam currus διρρύμους, τριρρύμους, τετραρρύμους (*duobus, tribus, quatuor temonibus ornatos*) Graecia nuncupaverit (106).

(106) **Xenophonti V. Paed. dicitur Abradatis currus τετράρρυμος ἐξ ἵππων ὀκτώ, *instructus quatuor temonibus, et equis octo*. Ibidem currus Cyri ἑπτά-**

At si tria tantum essat animantia, quae currum traherent, tum su iugum missis duobus, tertium fune alligatum ateibat.

Verum tota haec vera in aliam ratio est. Etenim per consecutum tempus siquidem tribus animantibus iungendum veliculum esset, duo subibant iugum, tertius fune ad dexteram aequa fronte annectebatur; quem a re ipsa *funalem* dici placuit. Quod si quatuor adhibentur, duo item iugales erant, reliqui duo funales, dexteram sinistramque adjecti; sicque deinceps factum, quicunque esset eorum numerus.

At non ita tamen, nova hac invecta consuetudine, veterem illam sublatam fuisse credendum est, ut penitus interierit. Mansit namque huc in vehiculis tum onerariis, tum ad itinera comparatis, ut non male elicitur e scriptorum auctoritatibus, quas huc non vacat afferre; et clarius patebit infra §. 5. ubi de Rheda. De his tamen vehiculorum generibus illud praeterea iuverit hoc loco attexere, obtinuisse alicubi, ut quae eisdem servirent iumenta, singula per longam seriem ponerentur. Hinc in proclivi est noscere, quid sibi voluerit Claudianus, ubi epigrammate de mulabus Gallicis essedae adiunctis cecinit:

Quamvis QVAEQVE SIBI longis discurrat habenis,
ET PATEANT duro LIBERA COLLA IVGO,
Ceu constricta tamen servit, patiensque laborum
Barbaricos docili concipit aure sonos.

μνμος, octo temonibus munitus, qui dein ὀκτὼ ζεύγεσι βοῶν octo iugis boum traheretur.

Absentis longinqua valent praecepta magistri,
Frenorumque vicem lingua virilis agit.

III. De iumentorum regimine aliquid dicturi, instrumenta huic usui mancipata promemus.

Illorum ora, ut hodie, temperabant FRENI: quorum quae pars ori indebatur, appellata *Orea*. Praeter consuetos autem fuerunt etiam *Freni lupati*, lupinorum dentium instar asperati, atque ad feroces equos in officio continendos adhibiti. De his Virgilius III Georg. 207.

. . . . . . *Prensique negabunt*
Verbera lenta pati, et duris parere LVPATIS.

Et Ovidius IV Trist. 6.

. . . . . *Duros accipit ore LVPOS.*

Nec solum lupato cohiberi impotens equus, sed *Camo* etiam solebat: qui nimirum circulus ex aspero ferro fuit, ori naribusque religatus. Huius mentio fit Ps. XXXI. v. 12. ubi ex Vulgata habetur: *In camo et freno maxillas eorum constringe* (107).

Vt vero frenum immissum ori inhaereret, loris circa caput auresque, quo plane pacto etiam nunc fit, revinciebatur. *Aureas* appellavit Latium eiusmodi loramenta, quae praeter aures irent.

---

(107) Ab indicato Cami genere distinguendum est aliud, quod e ferro pariter, ac cribri instar confictum, ori mordacium equorum circumponebatur, quo scilicet morsibus impetere, non autem respirare prohiberentur. Res constat ex Polluce, et ex Xenophonte in De re equestri.

Huic autem camo simile quid habuit Fiscella, quae e viminibus, aut funiculis in cratis modum intexta bovum ori apponi solebat ea de causa, quam sic paucis declarat Cato de R. R. 54. *Fiscellas habere oportet, ne herbam sectentur boves cum arabunt.*

De habenis porro, quibus ad frenos alligatis iumenta regebantur, nihil notari dignius est, quam locutiones illae, quis varium illarum moderamen designavere veteres. Etenim *ducere* aut *retro tendere habenas*, vel *inhibere frenos* dictum fuit, cum eas aurigae attraherent; contra vero cum remitterent, *frenos*, vel *habenas dare*, *immittere*, *effundere*, *laxare*: at cum concitandi causa habenas concuterent, *frenos concutere*, *quatere habenas*, *terga habenis lacessere*, et si quid aliud eiusmodi.

Ad concitandum autem non hac solum habenarum concussione usi sunt, sed multo magis aut *stimulo*, pertica scilicet acuminata, ferreove mucrone munita; aut *flagello* seu *scutica*, virga uno pluribusve loris armata, quibus extremis etiam solitum fuit aptari ferrum ad calcaris instar aculeatum.

Vnum postremo de auriga scire proderit, eum vel in sua sella, ubi hanc vehicula haberent, consedisse; vel, quod in urbanis praesertim vehiculis usuvenit, iuxta iumenta incessisse. Hinc Livius I 48. postquam retulit Tulliae carpentum ad locum, ubi patris corpus iacebat exanime, pervenisse: *RESTITIT*, inquit, *pavidus*, *atque inhibuit frenos is*, *qui iumenta agebat*. Sed praeterea exstant adhuc ad hunc morem ostendendum vetusta monumenta.

§. III.

De Curribus.

Varia admodum tum forma, tum usu fuere vehicula. Quibus de causis cum separatim singula inspicienda sint, nos primo Currus ab oculos ponemus: quo vocabulo strictius accepto designati tantummodo sunt CVRRVS, MAGISTRATVVM, CIRCENSES, BELLICI, et TRIVMPHALES.

I. CVRRVS MAGISTRATVVM (nempe curulium) is erat, cui loco capsi sella curulis imponebatur, at eo sane pacto, ut inde facile revelli posset, quippe quae magistratum, ubi is esset suae dignitatis insignibus usurus, sequi deberet. Currum ipsum fuisse, birotum, haud contemnenda opinio est, cum ceteri currus omnes fuerint huiusmodi.

II. Ita plane CVRRVS CIRCENSES duabus nitebantur rotis: inter quas eminebat quaedam veluti sella in hemicycli formam exstructa, et ab aversa parte, qua ascensus erat, aperta: ibique agitator stans regebat habenas. Persaepe tamen hi currus, pro animalium trahentium numero *Bigarum*, *Trigarum*, et *quadrigarum* nomine significantur: quandoquidem haec tria genera, perinde atque in bellis (unde haec ratio ducta) abhibita in ludis fuere; nisi quod heic Quadrigae, secus ac in militia, longe ceteris crebriores exstiterunt: ut propterea *Quadrigarum certamina* pro curulibus, cuicuimodi haec tandem essent, dici mos fuerit. Praeter hos autem currus etiam *Seiuges*, et quidem in honorem Iovis, cucurrisse (sicut Quadrigae Soli, Bigae autem Lunae currebant) per Isidorum fit fides.

III. In praeliis non solum Bigas, sed Trigas etiam atque Quadrigas fuisse usurpatas et modo a nobis indicatum est; et sexcentena veterum exempla demonstrant. Id autem ludicros inter, et militares currus discrimen fuit, quod illos solus conscenderet aurigator: hos vero (si modo falcatos excipias) auriga simul, qui iugales moderaretur, et praeliator, qui arma tractaret.

Ex his curribus bellicis celeberrimi fuere, qui *falcatorum* cognomine sunt vocati: quibus a vetustissimis usque temporibus usos Orientis populos fuisse constat e sacrarum Literarum auctoritate Iudic. I et IV; sed vero etiam e frequenti profanorum scriptorum testimonio. Etsi autem eorundem ratio pro diversarum gentium arbitrio aliquantulum variata sit, in eo tamen nunquam non sibi constitit, ut falcibus (unde nomen) obarmati ita essent, ut hostilem aciem perrumpentes everterent uno tempore trucidarentque. Eos iampridem apud Persas in usu positos, in eam postea formam restituit Cyrus (prout traditur a Xenophonte Cyropaed. VI.), ut axis ferme totus instructus esset falcibus, quarum duae hinc et illinc a lateribus extra rotas prominerent, aliae in ipso axis stipite infixae mucronem deorsum flecterent: tum vero capsus ad turris instar rotundus, et undelibet clausus unicum ad regendos equos aurigam ferro totum, praeter oculos, obtectum acciperet. Atque in falcatorum curruum genus fuit, quod ex Cyri instituto Persis adhibitum. Sed et si aliud intueri curae sit, habes in istoria Livii XXXVII 41: ubi de falcatis Antiochi quadrigis sic narratur: *Armatae in hunc maxime modum erant. Cuspides circa temonem ab iugo decem cubita exstantes velut cornua habebant; quibus quidquid obviam daretur, transfigerent; et in extremis iugis binae*

circa eminebant falces: altera aequata iugo, altera inferior in terram devexa: illa, ut quidquid ab latere obiiceretur, absoinderet: haec, ut prolapsos subeuntesque contingeret. Item ab axibus rotarum utrinque binae eodem modo diversae deligabantur falces.

Falcatis quoque curribus usos Gallos et Britannos significat Pomponius Mela III 6. per haec verba: *Dimicant* (Britanni) *et bigis, et curribus, Gallice armati: covinos vocant, quorum falcatis axibus utuntur* (108).

IV. Quadrigis porro sicut apud Graecos Olympionicae, aliique similes victores in suas patrias (disiecta etiam murorum parte) triumphantes invehi solebant, ita eisdem Romani duces relata ab hoste victoria in urbem triumphum agentes ingrediebantur. Itaque CVRRVS TRIVMPHALES non unquam Romanis alii fuerunt, quam Quadrigae. At harum tamen quadrigarum fuit singulari forma capsus, tanquam turricula rotunda et circumclusa: quo dabatur ingressus per ianuam, quae dein ipsa occludebatur. In eo imperator stans regebat equos.

---

(108) Non semper in bellis Covinum falcibus fuisse armatum, pro certo habetur. Ita namque non raro is aliorum militarium curruum more adhibebatur, ut inde covinarius praeliaretur.

Ad pacem vero quoque, in Romana etiam urbe sub Augustis pertinuit, et ferme ad amoenitatem captandam usurpatus. Huius autem hoc in genere ea ratio fuit, ut, nullo auriga, idem, qui vehebatur, equos moderaretur. Hinc apud Martialem XII 24.

O iucunda, Covine, solitudo!

De forma porro id unum notandum suppetit, tectum eum non immerito credi fuisse, cum *instratum* vocet Lucanus I cum inquit:

Et docilis rector constrati Belga Covini.

Iisdem curribus peculiare erat, ut auro oblinerentur: qui amplius Principum aetate laminis aureis obducti, et sigillis interdum eburneis* exornati.

De equis albis ad illos adhibitis dubium non est. Prima origo fuit a Camillo (Liv. V 23.).

§. IV.
De Carpento, Pilento, Et Carruca.

Non immerito tria haec vehicula CARPENTVM, PILENTVM, et CARRVCA per nos coniunctim in medium afferuntur, cum quid simile inter se ex eo habuerint, quod omnia, secus ac alia, contecta fuerint.

I. CARPENTVM proprie sumptum, cum ad alia translatum id nomen sit (109), mulierum illustrium fuit. Apparet certe ex Livii narratione I 48. illud antiquitus Romae a reginis usurpatum. Sed et exstat apud eundem historicum V 25. senatus consultum, quo universe ipsum matronis tributum est: sic enim ibi narratur: *Grata ea res, ut quae maxime senatui unquam fuit; honoremque ob eam munificentiam ferunt matronis habitum, ut pilento ad sacra ludosque, carpentis festo profestoque uterentur.* Etsi vero hoc institutum abrogatum deinde fuit per legem Oppiam alterius belli Punici aetate latam, ut constat ex iis, quae idem scriptor XXXIV 1. refert; vigesimo tamen post anno restitutum iterum est, eodem teste ibid. 8.

---

(109) Certe quidem *Carpenti* appellatio adhibita tum Sarraco fuit, ut ab Ammiano Marcell. XXXI 2. tum Essedae, ut a Floro III 10. tum Rhedae, ut lib. VIII C. Theod. I. 18. Postremo *Carpentum stercoris* legitur apud Palladium X 1.

Eius vehiculi hae fuerunt peculiares notae. E superiore parte tectum concamerato opere fuit; ut propterea illud ipsum fuisse putetur, quod *arcuatum currum* vocavit Livius I 21. Ad haec mulabus plurimum iungebatur; unde est, ut *Carpentum mulare* dicatur apud Lampridium in Heliog. 4.

Non ita tamen Carpentum exstitisse mulierum proprium credi debet, ut non viris etiam aliquando usui fuerit. Nimirum sacerdotes sacra in capitolium ferentes carpento vehebantur (110): in quo, nipote contecto, occulta ea habere (quod oportebat fieri) facile erat. Praeterea quidam magistratus sub Imperatoribus eo usi leguntur, videlicet Praefectus praetorio; et urbis tum Praefectus, tum Vicarius. Quam ob rem a Vopisco in Aurel. 1. *Carpentum iudiciale* illud appellatur, quod Praefecti urbis erat, non quod is inde tanquam e tribunali, ut quibusdam doctis viris persuasum fuit, ius diceret, sed quod vehiculum hoc eius esset, ad quem iudicia pertinebant. Notandum vero heic est, amborum horum magistratuum carpenta dissimile aliquid a reliquis prae se tulisse: primum enim non duabus, sed quatuor insistebant rotis: deinde solium sive thronum (sellam scil. quali reges uti consueverant, e solido ligno, arcuata forma) habebant: argento denique erant ornata. Postremo ab ipsis Imperatoribus, sicut apud alias gentes a regibus, carpentum (eadem ferme, ac magistratuum, forma, sed ornatiore) fuisse adhibitum pro certo habetur (111).

---

(110) Indicat clare id Tacitus Annal. XII per haec verba; *Suum quoque fastigium Agrippina altius extollere carpento capitolium ingredi, qui mos sacerdotibus, et sacris antiquitus concessus.*

(111) Ammianus XVI 10. de Constantio: *Insi-*

II. Alterum matronarum vehiculum PILENTVM erat. Id non perinde ac carpentum vulgo per urbem, sed tantum ad sacra ludosque fuisse usurpatum, vel ex uno paullo ante allato Livii loco elucet.

Tectum id etiam in carpenti modum fuit. Quatuor vero sustinebatur rotis. Ad haec colore olim veneto, postea rubeo fuisse illitum observavit Servius ad VIII Aeneid. 667, ubi et scripsit eiusdem capsum pensilem fuisse.

III. CARRVCA item quatuor ivisse videtur rotis, iisque non raro ad magnificentiam altioribus. Ea et suo praedita erat tecto, et modo aereis, modo eburneis, vel argenteis, aureisve ornamentis instructa. Mulabus solebat iungi: ex quo *carrucariae mulae* apud Vlpianum l. 38. D. de Aedil. edict. aeque virorum, atque mulierum fuit; ac tum privatorum, tum honestissimorum quorumque.

§. V.
De Vehiculis Ad Iter Comparatis.

E reliquis Vehiculorum generibus certa quaedam exstiterunt itineribus habendis vel unice, vel maxime destinata; videlicet RHEDA, PETORRITVM, CISIVM, et ESSEDVM.

I. Quod RHEDA (cuius maximus apud Gallos usus) declarato muneri addicta fuerit, ostendit satis, si cetera plura desint, Tullii testimonium pro Mil. 10. ubi de rheda, qua vehebatur Milo, sermo est. Atque ad id quidem non modo suis ipsi rhedis privati utebantur, sed et aliis locandas habebant, quae dictae *meritoriae.* In cursu etiam

---

debat, inquit, *aureo solus ipse carpento, fulgenti claritudine lapidum variorum.*

publico adhibitas Rhedas scimus, *cursuales* propterea nuncupatas (112).

Hae autem, quae cursui publico inserviebant, quatuor, quinque, aut etiam, ubi opus foret, pluribus iumentorum paribus, iisque binis ordine,

---

(112) De cursus publici ratione adnotare heic pauca, non abs re fuerit. Sic igitur habeto.

Iam olim in Romana republica mos viguit, quem tradit Livius XLII 1. ut *legati, qui repente aliquo mitterentur, singula iumenta per oppida, iter qua aciendum erat, imperarent*. Deinde cum A. V. DLXXVII C. Postumius consul, prout idem scriptor ibid. narrat, iturus in Campaniam, Praenestinos iumenta sibi ad transvectionem suppeditare coegisset; ex hoc exemplo alii postea magistratus ius similium in socios imperiorum sibi arrogarunt. Atque id quidem totum prima fuit Publici cursus quaedam veluti adumbrata imago.

Tum vero Augustus, quo citius nosceret, quid in quaque provincia gereretur, vehiculis per militares vias dispositis, *cursum* ipsum *publicum*, sive *vehicularem* omnino instituit. Is autem, licet maxima emolumenta statim attulerit, non minimum tamen tum Italicis, tum provincialibus urbibus incommodavit, quippe cum eum ipsae praestare deberent. Itaque plures sequentibus aetatibus per Imperatores latae leges fuerunt, quibus eiusmodi praestationis onera allevarentur. Nerva quidem Italiam hoc munere penitus exemit: quod testantur eius nummi hanc prae se ferentes inscriptionem: VEHICVLATIONE. ITALIAE REMISSA. S. C. Id ipsum porro Severus provincialibus indulsit, de quo Principe haec habet Spartianus in ejus vita 14 *Cum se vellet commendare hominibus, vehicularium munus a privatis ad fiscum traduxit*.

Verum hoc omne genus non in eodem semper statu permansit, sed multis subinde fuit mutationibus obnoxium; ut mirum non sit, si sequiore aevo gravati eo ipso onere provinciales occurrant. Sic in lege Impp. Arcadii, Honorii, et Theodosii Cod. Theod.

trahebantur (113) : pro privatorum autem rhedis nullus erat definitus numerus. Iumenta ipsa mulae plerumque fuerunt; quare *rhedariae mulae* occurrunt apud Varronem III de R. R. 17. sed nec raro equi. Vniversis autem rhedis, quae quidem apertorum vehiculorum generibus adnumerantur, quatuor suberant rotae. Ipsas inter oneraria quoque vehicula locum habuisse constat (114).

II. Pari prorsus, ac rheda, ratione PETORRITVM et itineribus mancipatum fuit, et quatuor rotis suffultum, et ferme mulabus iunctum, et, uti creditur, iuopertum, a Gallis praecipue usurpatum. Eo famuli in primis ac ministri, qui dominos peregre euntes assectarentur, vehi fuisse soliti dicuntur. Idque indicasse putatur Horatius, cum cecinit I Sat. 6.

. . . . Ducendus et unus,
Et comes alter, uti ne solus rusve peregre
Ve exirem: plures calones, atque caballi
Pascendi: ducenda Petorrita.

---

de pub. Cursu haec efferuntur: *Comperimus provinciales et pabula, et pecuniam pro equorum cursualium sollemni ratione conferre, et extrinsecus paraveredorum onere praegravari. Provinciarum igitur rectores procurent, ne unquam cursus publicus veniat in querelam, et occasio deceptionis curiales animalia indebita praestare compellat.* Sed de his hactenus.

(113) L. 8. Cod. Theod. de cursu publico: *Octo mulae iungantur ad rhedam, aestivo videlicet tempore, hiemali decem.*

(114) L. 14. Cod. Theod. de cursu publ. *Lineae, vel amictoria, quibus hactenus onerari rhedae solebant, nec ulterius rhedis, sed angariis, vel navibus dirigantur. Reliquae vero dedicatae vestis, sed et linteamen amictorium, nostrorum usibus necessarium, rhedis, sed mille librarum ponderatione mittantur.*

III. Cisium e vehiculis birotis erat, celeritati summopere accommodatum, ut propterea ad maiorem parandam mobilitatem eius capsus, qui *plostremum* vocatus, non e ligno compactus fuerit, sed virgultis intextus. Illud igitur, trium mularum opera trahi assuetum, ad expeditissima itinera praesto erat. Hinc Tullius pro Rosc. Amer. 7. *Decem*, inquit, *horis nocturnis sex et quinquaginta millia passuum cisiis pervolavit.* Ex quo loco illud praeterea (quod clarius aliunde (115) habetur) colligi fortasse possit, fuisse cisia, perinde ac rhedas, conductitia, passimque per vias disposita, siquidem ibi orator tam multa milliaria non *cisio*, sed *cisiis* confecta dicit. Iisdem usi non minimum tabellarii.

IV. Itinerarium quoque vehiculum Essedum erat. Duae eidem rotae, duoque (116) iumenta (quae vel equi, vel mulae) attributa: sella autem (prout nonnulli censent, at nullo satis digno argumento) clausa. Tam porro mulierum, quam virorum fuit, etiam honoratissimorum. Postremo devehendis oneribus mancipatum nonnunquam est.

Ceterum hoc vehiculi genus tum apud Belgas primos eius auctores, tum apud Britannos quam

---

(115) Satis aperte rem hanc declarant verba Vlpiani l. 13. D. Locat. *Item quaeritur, si cisiarius, idest carrucarius, dum ceteros transire contendit, cisium evertit, et servum quassavit, vel occidit* (qua actione conveniri queat); *puto EX LOCATO in eum esse actionem*. Vbi etiam illud animadvertendum se offert, quod servi potissimum mentio fiat, nimirum, quia cisia usurpabantur praecipue a tabellariis, qui plerumque servi.

(116) Essedo plura animalia longo ordine alligare, pro eo ac literis proditum est, non vulgare fuit, sed alicuius regionis peculiare. Vide, quae supra observata sunt p. 324.

maxime ad bella adhibebantur; et quidem eo artificio, ut, auriga equos perindustrie regente, pugnator interim (quo et hostem invaderet, et seipsum tutaretur) modo per temonem percurreret, modo in iugo insisteret, modo se in currum citissime reciperet. Legere id totum licet apud Caesarem IV Bell. Gall. 33. Hinc datur intelligi, cur Cicero ad Trebatium, qui cum Caesare in Britannia bellum gerente erat, sic per iocum loquatur VII Fam. 6. *Tu, qui ceteris cavere didicisti, in Britannia ne ab Essedariis decipiaris, caveto.* Iam vero, ut ne id omittatur, procul dubio haec militaria esseda fuerunt aperta.

§. VI.
De Vehiculis Onerariis.

Quae non aliud potissimum, quam deportandorum onerum obtinuere munus, ea quidem sunt Plavstrvm, Vehicvlvm, Arcera, et Carrvs.

I. Duabus tantum rotis munire Plavstrvm sollemne fuit: nam quae pluribus praedita essent, *Plaustra maiora* dicebantur, qualia memorat Cato R. R. 11. Rotae ipsae non radiatae erant, sed e solido ligno, quae *tympana* vocabantur, ut dictum supra est p. 321. Iam inter eas lata sternebatur tabula, vel crates, ad cuiu slatera (ratione hodiernae vix absimili) rectae aptabantur sudes, ne imposita onera dilaberentur. Idque loculamentum aliquando qua a lateribus, qua superne contectum omnino vel pellibus, vel alia quavis materia fuit.

Trahi consuerunt Plaustra a binis ferme bobus, aliquando etiam a mulis, aut asinis; a qua causa est, ut *Asini plostrarii* legantur apud Catonem.

Talium vehiculorum usus ad comportanda honera fuit maximus. Itaque sicut in pace frumentum,

vinum, tigna, columnae, aliaque id genus, ita et in bello naves, queis flumina traiici oporteret, convectae per illa sunt. Sed praeterea non infrequens fuit, ut eis rustici homines veherentur. Quin etiam apud Athenienses mos viguit, ut et matronae ad Eleusinia plaustris irent, et e plaustris poëtae in sacris Bacchi carmina recitarent.

II. A Plaustro ad VEHICVLVM, tanquam a genere ad speciem, descendimus; quandoquidem id, ubi a communi ad strictiorem deveneris notionem, non aliud fuit, quam parva *Veha* sive *Veia*, quo nomine appellatum fuisse Oscis plaustrum testatur Festus. Itaque vehiculum idem plane fuit, ac quod alias dictum Latinis est *Plostellum*. Et sane, quod ad formam attinet, nulla alia re a plaustro discrepavit, nisi ea una, quam illico adjiciemus.

Ejus igitur peculiare hoc fuit, quod impositum haberet vas viminibus contextum, in quod quaecunque transferenda forent, coniicerentur. Ex quo ipso nomen ei factum credidisse videtur Varro, cum haec efferat IV de L. L. 31. *VEHICVLVM, in quo faba, aliudve quid vehitur, quod ex VIMINIBVS VIERETVR.*

III. Quod si porro loculamentum illud, quod plaustro aptabatur, non vimineum esset, sed e tabulis veluti quaedam arca compactum, tunc plaustrum ipsum per hanc novam speciem alia nomenclatura (ab ipso receptaculo desumpta) ARCERA dicebatur. De cuius plaustrorum generis instituto Caecilius apud Gellium XX 1. *Arcera*, inquit, *vocabatur plostrum tectum undique, et munitum, quasi arca quaedam magna vestimentis instrata, qua nimis aegri, aut senes portari cubantes solebant.* Adhaec vero feras venatione captas arcera devehi consuevisse, satis apparet e veteri monumento, quod exstat apud Schefferum II. de re ve-

hicul. 20. Sed et alia gestanda fuisse eam accommodatam, non est cur in dubium revocetur.

IV. Carrus etsi barbararum gentium, maximeque Gallorum Helvetiorumque proprius fuerit, tamen et in Romanis aliquando rebus aliquem sibi locum vindicavit. Fuit ipse vehiculum quatuor rotarum, forma (quod creditur) a plaustris vix absimili. Ad id autem paratus erat, ut in pace onera subvectaret, etiam apud Romanos sequioris aevi, praesertim in cursu publico, ut patet ex l. 47. Cod. Theod. de Curs. publ. (117); in bello vero sarcinas deveheret, id quod exteris nationibus sollemni in more erat. Atque heic omittendum non est carros in orbem connexos adhibitos ab iisdem populis pro castrensi vallo fuisse: quod munitionis genus dictum *carrago* fuit. Hoc ipsum porro institutum aetate Principum, sera ea quidem, Romanis etiam castris illatum est. Verum barbari non solum cum considerent, sed etiam ubi aut pugnarent, aut incederent, carragine ad rem composita usi aliquando sunt.

---

(117) Ita ibi: *Rhedae mille librarum onus imponi debet, Carro sexcentarum, nec amplius: addito eo, ut aurum ceteraeque species largitionales non ad libidinem persecutorum, vel susceptorum, sed aptis oneri ac ponderi vehiculis deferantur.* Atque hinc factum, ut iustum carri onus, quod sexcentarum librarum aestimatum fuit, *Carrada*, vel *Carrata* diceretur. Ex hoc etiam carros onerandi more vocabulum *Carricare* ortum habuit.

§. VII.

De Sella, Cathedra, Lectica, Et Basterna.

Postquam de Vehiculis, quae rotarum ope agebantur, sermonem habuimus, ad ea nunc genera veniamus, quae baiulorum humeris, vel iumentorum dorso portari solebant. Ipsa erant SELLA, CATHEDRA, LECTICA, et BASTERNA.

I. SELLA, quae pro sui ratione, *gestatoria*, *portatoria*, et *ferloria* dicta occurrit, triplicis fuit generis, vel omnino aperta, domesticae nihil dispar; vel superne tantum contecta; vel pellibus (qualis ferme apud nos) undique cooperta; quae tamen pelles ita a lateribus, aut ex adversa parte removeri suspendique poterant, ut prospectus pateret: atque haec ad mulieres maxime pertinent. Erant autem Sellae nonnunquam laxiores, cuiusmodi nobiliores homines, non quidem ut binis ibi sessoribus esset locus (quod opinatus est Lipsius ad Tacit. II), sed ad fastum sibi parabant; nonnunquam vero strictiores, quae *Sellulae* appellatae. Generatim autem cervicali ad reclinandum caput instrui solebant.

Non solum vero e Sellis pelliceae (quod modo dictum) quaedam fuerunt, sed praeterea et *osseae*, et *eboratae*, et *argentatae*; quarum simul omnium mentionem facit Lampridius in Heliogab. 4. videlicet vel ossea quadam veluti crusta obductae, vel eburneis argenteisve imagunculis ornatae. At quae *bracteata* vocatur a Sidonio VIII Ep. 8. ea quidem bracteis aureis convestita fuit.

Gestabantur Sellae a servis, modo binis, modo quaternis, modo etiam senis, non quod reapse tot

vel ad maximas quasque opus essent, sed fastus gratia. Ii autem, qui (a lectigarum gestatoribus mutuato nomine) *lecticarii* vocati, ita disponebantur, ut alteri eorum ante, alteri retro immissis vectibus sellam attollerent succollarentque(118).

Iam non solum e privatis multi suas habebant sellas; sed publicae etiam erant, quae cum ipsis

---

(118) Non persuadet heic Schefferus, qui in de re Vehicul. II 4 contendit, sellarum gestatores hinc et illinc a lateribus fuisse dispositos, non alia sane de causa, quam quod secus sella ipsa, postquam sublata esset, dici non potuisset (quod frequens scriptoribus) *succollata* utpote quae collo ac cervice, non modo humeris baiularetur. Verum contra facit, quod etiam lectica *succollabatur*, uti passim veteres loquuntur, et tamen lecticarii partim in antica, partim in postica parte (quod ipse Schefferus fatetur eodem Lib. cap. seq.) constituebantur. Id autem totum; etiam ubi baiuli ante et post collocentur, bene stare posse apparebit, si credatur extremitates asserum funibus inter se fuisse colligatas, ita ut sublata sella aut lectica, extremi quidem asseres humeris, funes vero intermedii collo insiderent, quemadmodum etiam nunc montanae sellae in aliquibus locis gestari solent. Fit certe aliquando a priscis auctoribus mentio funium ad lecticam spectantium, unde id ipsum confirmari queat. Ita apud Gellium X 3: *His annis paucis ex Asia missus est, qui per id tempus magistratum non ceperat, homo adolescens pro legato. Is in lectica ferebatur: ei obviam bubulcus de plebe Venusina advenit: et per iocum, cum ignoraret, qui ferretur, rogavit, num mortuum ferrent. Vbi id audivit, lecticam iussit deponi: STVPPIS, QVIBVS LECTICA DELIGATA ERAT, usque adeo verberari iussit, dum animam efflavit.* Certe *stuppas*, de quibus hoc loco agitur, funes eos, quos indicavimus, fuisse veri simillimum videtur. Quod porro ipsum de sella decet credere.

lecticariis locabantur. Sed praeterea solos nonnunquam baiulos sine sella, cum haec domi esset, quis conducebat. Atque hinc est, ut *Corpora*, et *Castra lecticariorum* in antiquis inscriptionibus sese prodant; quippe qui in certis urbis locis simul collecti praestolabantur, qui operam suam sive pro sella, sive pro lectica conductam vellet.

II. Per quid a sella CATHEDRA discreparit, haud facile est ex antiquitate expiscari, cum tamen inter eas discrimen aliquod intercessisse constet. Id tantummodo liquet, hanc feminarum unice fuisse, illam promiscue a viris et mulieribus usurpatam. Fortasse hoc peculiare Cathedra habuit, ut prae sella honestior esset, atque exornatior.

III. LECTICAE usus ad efferendos mortuos antiquissimus ab ipsa usque regum aetate Romae fuit: pro vivis autem vectandis sane quam sero ibidem obtinuit. Consuetudo haec per agros primum (at quando, ignotum) teneri coepit: tum sub Iulii Caesaris aevum, inclinatis iam ad delicias animis, inducta in urbem est.

Illius forma omnino lectum ligneum repraesentabat: cui pulvinus, saccus nimirum pluma plerumque fartus, imponebatur. Aptatis autem asseribus, ex anteriore et posteriore parte prominentibus, succollabatur Lectica a lecticariis: qui, prout ea augustior amplior ve foret, nonnunquam quatuor, saepius sex, aliquando octo fuerunt; e quibus duobus postremis numeris *Hexaphori* quoque, et *Octophori* nomina lecticis adiecta sunt. Quatuor porro idem vehiculum ligneis pedibus fulciebatur, queis, ubi deponendum esset, insisteret.

Fuit lectica ipsa (uti observavit Lipsius I Elect. 19.) vel aperta, qualem descripsimus, vel clausa; quae hoc uno ab ea distabat, quod pellibus velisque opere arcuato contecta erat: a qua causa fuit, ut

etiam *Cubiculum tectum*, et *Cubiculum viatorium* Latinis diceretur. Fenestras eadem habuit instructas velis, sive linteis; quae appellata *plagulae*, quaeque pro arbitrio obtendi, vel dimoveri poterant. Pro velis vero in lecticis muliebribus specularia fuere.

IV. Basterna, licet sequioris aevi, non omnino omittenda videtur: de qua tamen vix unum alterumve verbum adiiciemus. Erat haec matronale vehiculum, a veteri lectica tecta nihil diversum, nisi ob id modo, quod non quidem a servis, sed a mannis, aut mulis baiulabatur, eo prorsus pacto, quo hodiernas lecticas gestari mos est.

§. VIII.

De Ferculis, Et Thensis.

Duo modo vehiculorum supersunt genera, quae extremum hunc locum occupabunt, Fercula, et Thensae: quae non certe ad hominum vectationem, sed ad triumphales, sacras, funebresque pompas spectabant.

I. Ad Fercula quod pertinet, ea perinde ac sellae aut lecticae, humanis humeris, asserumque praesidio gestabantur. Primum autem non minimam triumphalis pompae partem constituebant. Non heic nos tamen de eo loquimur Ferculorum genere, quale Romana in urbe ab ipso primum Romulo ad relatae ab se victoriae ostentationem gestatum, illatumque in Capitolium tradit Livius I 10; quod revera non aliud fuit, quam (qualia plane tropaea formari solebant) stipes hosticis exuviis exornatus, uti liquet ex Plutarcho in vita Romuli, id quod ad rem nostram nil quidquam facit.

At quae Fercula memorare in mentem subiit,

ea nimirum quaedam veluti bases ligneae fuerunt, quae imagines captarum urbium, earum signa atque ornamenta, ceteraque non pauca per triumphum vehi solita, sustinebant. Idque prorsus rei est, de quo Asconius I Ver. 21. ita eloquitur: *Ferculis signa ante triumphantem vehi per pompam solebant.* Nec solum res ipsas, sed aliquoties etiam e captivis perinsignem aliquem impositum illa habebant. Quare Senec. de vit. beat. 25. *In alienum*, inquit, *imponar Ferculum, exornaturus victoris superbi ac feri pompam.*

Eadem porro in plura non raro tabulata exstruebantur: cuiusmodi creduntur fuisse, quae Iosephus VII Bell. Iud. 24. in triumpho Vespasiani exhibet, ac peculiari nomine appellat *pegmata* (119).

A pegmatis vero huius generis propius abfuerunt Fercula illa, queis circensi pompa statuae Deorum deportabantur, quaeque satis expressam pulpitorum figuram referebant: unde fuit, ut a Tertulliano de Spectac. 6. *Suggestus* dicerentur.

Similem denique prioribus illis triumphorum Ferculis formam prae se tulere ea, quae funerum fuerunt: quibus nonnunquam spectatissimi alicuius defuncti cineres delatos fuisse memoriae est proditum. Ita Caligula, narrante Suetonio in eius vita 16. matris fratrisque cineres peregre advectos, atque in urnas conditos, *per splendidissimum quem-*

---

(119) Laudati scriptoris verba latine versa sic habent. *Stupori erat pegmatum, quae portabantur, fabricatio tam magna, ut occurrentes timerent, ne qui subierant gestare haud valerent; nam quaedam in tabulatum tertium excreverant. Erat autem per singula pegmata captae civitatis dux, ita, ut captus fuerat, ordinatus.*

que equestris ordinis, medio ac frequenti die, duobus Ferculis mausoleo intulit. Eodem ferculorum genere fuisse aliquando gestata videntur munera, quae cum ipso cadavere cremanda praeire in pompa funebri solebant: quae tamen alias sine tali instrumento manibus comportata.

II. Circensis porro pompae praecipuum decus habitae fuere Thensae, sacra vehicula, ebore argentove incrustata, quibus imagines Deorum vehebantur; sed et Principum, quos mortuos inter Divos caeca superstitio retulisset.

Ea huiusce vehiculi structura erat, ut ubi statua locanda erat, ibi suggestus quidam e ligno exsisteret. Ipsum autem vehiculum, quod duobus erat rotis innixum, ab equis trahi consuevisse liquet ex Plutarcho in Coriolano: ubi tradit, si equus aliquis eorum, qui thensas traherent, elanguisset; pompam fuisse de integro instituendam. Atque heic omissum morem illum nolumus, per quem lora, queis religati equi, a pueris patrimis et matrimis (quales ad sacra adhiberi soliti) teneri manibus debebant. Quare Cicero de Haruspic. resp. 11. irreligiosum fuisse declarat, *si ludius constitit, aut tibicen repente conticuit, aut puer ille patrimus et matrimus si terram non tenuit* (120), *aut THENSAM aut LORVM OMISIT*.

Atque haec de re vehiculari satis sit retulisse.

F I N I S.

---

(120) Quid sibi illud velit: *si terram non tenuit*, palam fit e loco Macrobii III Saturnal. 9. *Cum tellurem dicit, manibus terram tangit*. Nimirum ritus is erat, qui precationem comitari debebat.

CAPITVM.

CAPVT I.

CAPVT V.

CAPVT VI.

CAPVT VII.

PARS PRIOR.

PARS ALTERA.

